De Fragmenti Suetoniani de Grammaticis et Rhetoribus Codicum Nexu et Fide

BY

RODNEY POTTER ROBINSON
A. B. University of Missouri, 1910
A. M. University of Missouri, 1911

THESIS

Submitted in Partial Fulfillment of the Requirements for the

Degree of

DOCTOR OF PHILOSOPHY

IN THE CLASSICS

IN

THE GRADUATE SCHOOL

OF THE

UNIVERSITY OF ILLINOIS

1920

De Fragmenti Suetoniani de Grammaticis et Rhetoribus Codicum Nexu et Fide

BY

RODNEY POTTER ROBINSON

A. B. University of Missouri, 1910

A. M. University of Missouri, 1911

THESIS

Submitted in Partial Fulfillment of the Requirements for the

Degree of

DOCTOR OF PHILOSOPHY

IN THE CLASSICS

IN

THE GRADUATE SCHOOL

OF THE

UNIVERSITY OF ILLINOIS

1920

Reprinted from
University of Illinois Studies in Language and Literature
Vol. VI, No. 4, November, 1920

INDEX CAPITVM

CAPVT I

In Qvo de Codice Hersfeldensi atqve de eivs Inventione et Inventoribvs disseritvr

C. Suetoni Tranquilli fragmentum *De Grammaticis et Rhetoribus* inter renascentium litterarum aetatis homines primus qui nominatim commemoret Antonius Panormita Bononia mense Aprili [1] anni 1426 Guarino Veronensi haec scribens mihi innotuit: "......Praeterea est quod te non minori voluptate afficiat; sed omnino coenam parato, qua in re tu me non audis. Compertus est Cor. Tacitus de origine et situ Germanorum. Item eiusdem de vita Iulii Agricolae isque incipit: 'Clarorum virorum facta' caeterave. Quinetiam Sex. Iulii Frontonis de aquaeductibus qui in urbem Romam inducuntur; et est litteris aureis transcriptus. Item eiusdem Frontonis liber alter, qui in hunc modum iniciatur: 'Cum omnis res ab imperatore delegata mentionem exigat' et caetera. Et inventus est quidam dyalogus de oratore et est, ut coniectamus, Cor. Taciti, atque is ita incipit: 'Saepe ex me requirunt' et caetera. Inter quos et liber Suetonii Tranquilli repertus de grammaticis et rhetoribus: huic inicium est: 'Gramatica Romae'. Hi et innumerabiles alii qui in manibus versantur, et praeterea alii fortasse qui in usu non sunt, uno in loco simul sunt; ii vero omnes, qui ob hominum ignaviam in desuetudinem abierant ibique sunt, cuidam mihi coniunctissimo dimittentur propediem, ab illo autem ad me proxime et de repente; tu secundo proximus eris, qui renatos sane illustrissimos habiturus sis......" De eisdem libris inuentis fama magis quidem exigua Guarini in aures Ioannis Lamolae merito iam antea manauisse uidetur, ut ex illius uerbis in epistula ad eundem Lamolam Bononiae degentem die XXVI mensis Ianuarii eiusdem anni [2] 1426 scripta colligitur: [3] "......Quid nuntius renascentium virorum et in lucem prolatorum, quem mihi cum suavitate mirabili affers? O si Cornelium Tacitum ipsum, Plinii mei amicum socium collegam, spectare et coram affari detur!...."

Ineunte igitur anno 1426 fama de Suetoni fragmento *De Grammaticis et Rhetoribus*, Taciti operibus minoribus, Frontini *De Aquaeductibus* nuper inuentis Bononiam perlata erat. Cuius de notitiae origine ad Francisci Poggi epistulam, quam Romae die III mensis Nouembris anni praecedentis

[1] Sabbadini, *Studi Italiani* VII p. 122 sq.; id. *Storia e Critica* p. 67 sq. Hanc epistulam, licet dies non sit appositus, Sabbadinius mensi Aprili anni 1426 fere certa ratione uindicat.

[2] De temporum ratione Sabbadinium ubique sequor.

[3] Sabbadini, *Stud. Ital.* VII p. 120; id. *Storia e Critica* p. 264.

(1425) ad amicum suum Nicolaum de Nicolis Florentinum dedit, regrediamur necesse est: [4] "......Quidam monachus amicus meus ex quodam monasterio Germaniae, qui olim a nobis recessit, ad me misit litteras, quas nudius quartus accepi; per quas scribit se reperisse aliqua volumina de nostris, quae permutare vellet cum Novella Ioannis Andreae vel tum Speculo tum Additionibus, et nomina librorum mittit interclusa.... Inter ea volumina est Iulius Frontinus et aliqua opera Cornelii Taciti nobis ignota: videbis inventarium et quaeres illa volumina legalia, si reperiri poterunt commodo pretio. Libri ponentur in Nurimberga, quo et deferri debent Speculum et Additiones, et exinde magna est facultas libros advehendi. Vt videbis per inventarium, haec est particula quaedam, nam multi alii restant; scribit enim in hunc modum: 'Sicuti mihi supplicastis de notando poetas, ut ex his eligeretis qui vobis placerent, inveni multos e quibus collegi aliquos, quos in cedula hac inclusa reperietis'....Romae die III novembris."

Hac igitur ex epistula compertum habemus monachum quendam, e monasterio Hersfeldensi, ut ex sequentibus apparebit, Poggio inuentarium quorundam librorum quos reppererat[5] misisse. Apographon autem huius inuentari paulo post Bononiam expeditum esse uidetur, ubi in Panormitae Lamolaeque manibus uersaretur. Panormita etiam notitiam satis copiosam de libris, quorum descriptio hoc inuentario continebatur, cum Guarino Veronensi communicauit, neque tamen de origine eius quicquam protulit, nisi fore ut illi libri cuidam sibi coniunctissimo propediem dimitterentur. Inuentari apographon, quo usus est Panormita, neglegentius scriptum esse debebat, siquidem in illius epistula *Frontonis* pro *Frontini* et inter *Dialogi* uerba ineuntia *requirunt* pro *requiris* legimus. Post Panormitae epistulam ad Guarinum datam [6] interuallo anni plus intermisso monachus

[4] Poggii *Epist.* ed. Tonelli, Florentiae, 1832, I p. 168. Sabbadini, *Stor. e Crit.* p. 263; id. *Stud. Ital.* VII p. 119.

[5] Sabbadini opinio (*Stor. e Crit.* p. 273-4), cui Annibaldius (p. 77, adn. 2) suffragatus est, eosdem codices iam anno 1421 a Bartholomaeo de Capra Archiepiscopo Mediolanensi uisos esse, instabili fundamento nititur, ut Wissowa (p. III) recte iudicauit. Quam opinionem ad confirmandam nihil est nisi Poggi uerba *tales historicos* in epistula Londini die X mensis Iunii (1422) data.

[6] Tres epistulae a Poggio ad Nicolaum per hoc interuallum datae extant, quibus monachus Hersfeldensis laudatur. (1) Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 172, siue apud Michaelisium *Praefat.* p. XX: (Romae) d. 15 m. Dec. (a. 1425). ". . . ad amicum nostrum pro libris misi binas litteras et quidem diversis nuntiis, quin ordinavi ut, cum litterae essent in Nurimberga, deferrentur ad monasterium per aliquem qui responsum referret, et ad id pecuniam paravi, itaque quam primum spero nos scituros aliquid certius." (2) Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 175, siue apud Michael. *Praefat.* p. XX: Romae V idus Febr. (a. 1426). ". . . ex Germania responsum est mihi litteras illas esse redditas, spero igitur me habiturum propediem litteras a monacho, et tum tecum omnia communicabo." (3) Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 187, siue apud Michael. *Praefat.* p. XX: Romae noctu XVIII kal. Oct. (a. 1426). ". . . de libris Germanis nil dicam

Hersfeldensis Romam rediens alterum copiosius inuentarium secum apportauit. Hoc tamen inuentarium Poggium magna ex spe deiecit, quam ex monachi uerbis conceperat. Quae omnia alia epistula [7] a Poggio ad Nicolaum Romae data docet: "Dixeram Cosmo nostro, quemadmodum scribis, monachum illum Hersfeldensem dixisse cuidam se attulisse inventarium, sicut ei scripseram, plurium voluminum secundum notam meam. Postmodum cum summa cura quaererem hunc hominem, venit ad me afferens inventarium plenum verbis, re vacuum. Vir ille bonus, expers studiorum nostrorum, quicquid reperit ignotum sibi id et apud nos incognitum putavit. Itaque refersit illud libris quos habemus, qui sunt iidem de quibus alias cognovisti. Mitto autem ad te nunc partem inventarii sui, in quo describitur volumen illud Cornelii Taciti et aliorum quibus caremus; qui cum sint res quaedam parvulae, non satis magno sunt aestimandae. Decidi ex maxima spe quam conceperam ex verbis suis. Ea extitit causa propter quam non magnopere curavi hoc ad te scribere; nam si quid egregium fuisset aut dignum Minerva nostra, non solum scripsissem sed ipse advolassem ut significarem. Hic monachus eget pecunia; ingressus sum sermonem subveniendi sibi, dummodo Ammianus Marcellinus, prima decas Titi Livii et unum volumen orationum Tullii ex iis quae sunt apud nos communes et nonnulla alia opera, quae quamvis ea habeamus tamen non sunt negligenda, dentur mihi pro his pecuniis. Peto autem illa deferri eorum periculo usque Nurimbergam. Haec tracto, nescio quid concludam, omnia tamen a me scies postea. Romae XVI kal. iunii (1427)."

Poggium, cum ut Ammianus Marcellinus, Liui decas, Ciceronis orationum uolumen aliaque haberentur, curam dedisset, pretiosioris illius Corneli Taciti uoluminis, quo ut infra apparebit Suetoni quoque *De Grammaticis et Rhetoribus* continebatur, oblitum esse arguisse uidetur Nicolaus. Cuius dubitationes sequens Poggi epistula[8] ad eum tollere debuit: "Optime suspicaris me cum obsignarem litteras oblitum esse illius inventarii, cuius mentionem feceram in litteris. Nunc illud ad te mitto. Id autem male accipis quia, cum procurem ut habeamus decadem Livii et reliqua volumina de quibus ad te scripsi, putes me omittere hoc volumen quo maxime indigemus.[9] Id quidem imprimis est quod volo, quin mandavi isti

---

amplius nisi me non dormire more tuo sed vigilare. quod si quidam prout spero fidem servarit, liber ad nos veniet vel vi vel gratis. quin etiam dedi operam ut habeam inventarium cuiusdam vetustissimi monasterii in Germania, ubi est ingens librorum copia; sed ne tu me molestes ista tua dicacitate nil amplius scies."

[7] Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 207 sq., siue apud Michaelisium, *Praefat.* p. XX, siue apud Sabbadinium, *Stud. Ital.* VII p. 127 et *Stor. e Crit.* p. 272.

[8] Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 210 sq., siue apud Michael. *Praefat.* p. XXI.

[9] Scilicet uolumen quo Taciti *Germania, Agricola, Dialogus,* Suetoni reliquiae continebantur.

monacho ut vel ipse secum deferret (nam credit se rediturum brevi) vel per alium monachum curaret deferendum; alios iussi Nurimbergam, hunc vero Romam proficisci recta via, et ita se facturum recepit. Romae pridie kal. Iun. (a. 1427)." Mense Septembri eiusdem anni (1427) Poggius *Cornelium Tacitum* adhuc expectabat: "De Cornelio Tacito qui est in Germania nil sentio; expecto responsum ab illo monacho.... Omisi hanc curam librorum absentium et ad eos qui adsunt nobis animum converti; nam nil audio praeter fabulas."[10] Quin etiam anno fere post Poggius nihil noui perceperat et de libris Taciteis conquirendis paene desperasse uidetur: "......Cornelius Tacitus silet inter Germanos neque quicquam exinde novi percepi de eius operibus."[11]

Denique insequente anno (1429) monachus Romam iterum rediit et sine libro, ut Poggius in epistula Romae die XXVI mensis Februarii ad Nicolaum data queritur: "......Monachus Hersfeldensis venit absque libro multumque est a me increpatus ob eam causam. Asseveravit se cito rediturum (nam litigat nomine monasterii) et portaturum librum. Rogavit me multa: dixi me nil facturum nisi librum haberemus. Ideo spero et illum nos habituros, quia eget favore nostro."[12]

De hoc codice Hersfeldensi nil amplius in Poggi epistulis reperitur. Quamuis Poggius de uolumine Taciteo conquirendo desperasse uideatur, Nicolaus de Nicolis duobus annis post his aliisque opusculis habendis negotium dedit. Ineunte anno 1431 Iulianus Caesarini cardinalis Sancti Angeli comitante secretario Lucio Spoletino legatus pontificalis ad expeditionem contra Hussitos instituendam in Germaniam profectus est.[13] Item Nicolaus Albergati Sanctae Crucis cardinalis, comitante secretario Thoma Parentucellio, qui postea pontifex maximus Nicolaus V creatus est, legatus pontificalis in Galliam est missus.[14] Duobus autem cardinalibus profecturis indicem librorum conquirendorum dedit Nicolaus de Nicolis, quod Ambrosius Trauersarius quadam epistula[15] ad eundem Nicolaum id temporis peregre degentem[16] Florentiae die VIII mensis Iulii (a. 1431) data com-

[10] Data Romae V kal. Oct. a. 1427. Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 213, siue apud Michael. *Praefat.* p. XXI.

[11] Data Romae die XI m. Sept. a. 1428. Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 218, siue Michael. *Praefat.* p. XXI.

[12] Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 268, siue Michael. *Praefat.* p. XXII.

[13] Sabbadini, *Storia e Critica* p. 3. Bulla pontificis maximi Martini V hoc negotium cardinali Iuliano confidentis die XI mensis Ianuarii a. 1431 est data. Mense Martio eiusdem anni Norimbergam iam peruentum erat.

[14] Sabbadini, *Storia e Critica* p. 3. Fantuzzi, *Scrittori Bolognesi* I 120. Bulla pontificis maximi Eugeni IV potestatem huius legationis facientis die XXVIIII mensis Aprilis a. 1431 data est.

[15] Traversarii *Epist.* ed. Petrus Cannetus VIII 2 p. 353, siue apud Sabbadinium, *Storia e Critica* p. 2.

[16] Vide Sabbadini, *Stor. e Crit.* p. 3.

memorat: "Quod indicem dederis voluminum inquirendorum cum Iuliano nostro cardinali S. Angeli tum cardinali S. Crucis, Germaniam omnem omnemque Galliam diverso itinere peragraturis, fecisti tu studiose et ingenio tuo digne. Sed vereor ne cum occiduo gelu eorum quoque refrigescat ardor: quamvis Lucius ille adolescens promptus atque excitus magna de se polliceri videatur; vixque adduci possum illum non diligentissime hoc munus impleturum. Gustum illius cepi, brevem quidem; nam transiens per nos me vidit atque adlocutus est tanta suavitate atque copia, ut spem de illo conceperim maximam. Thomas item noster, non ambigo, geret votis tuis morem... Florentiae ex nostro monasterio VIII iulii (1431)." Ille ipse index librorum inquirendorum a Nicolao comparatus, cuius mentionem facit Trauersarius, anno 1913 in catalogo librariae antiquariae T. de Marinis et Soc. Florentinorum (ms. 10, p. 14-16) in lucem prouenit. Est autem ad finem cuiusdam codicis opera Ciceroniana philosophica complectentis, atque a manu diuersa ab ea quae ipsum codicem exarauit confectus est. Cuius codicis nunc Noui Eboraci in bibliotheca Ioannis Pierpont Morgan respositi ea pars quae inuentarium amplectitur phototypice expressa nuperrime bibliothecae Vniuersitatis Illinoiensis accessit. Inuentarium autem sic inscribitur: *COMMENTARIUM NICOLAI NICOLI IN PEREGRINATIONE GERMANIE.* Quo commentario codices, qui in bibliothecis monasteriorum Reichenauiensis, Hersfeldensis, Fuldensis, ecclesiae cathedralis Coloniensis, nec non et cuiusdam monasteri Danici nominis ignoti repositi dicebantur, describuntur.[17] Sunt ibidem animaduersiones de quibusdam Ciceronis, Varronis, Corneli Nepotis, Fenestellae, Plini, Taciti, Celsi, Catonis operibus deperditis, quae 'ab inferis excitanda erant.' Quae autem de monasterio Hersfeldensi dicuntur, quamuis scribarum erroribus satis uitiata, hic describo:[18]

In Monasterio hispildensi[19] haud procul ab alpibus continentur haec opuscula. videlicet:

Julii Frontini De aquae ductis quae in urbem inducunt liber j. Incipit sic: PERSECVTVS ea quae de modulis dici fuit necessarium. Nunc ponam quemadmodum queque aqua ut principium commentariis comprehensum est usque ad nostram curam habere uisa sit &c̄. Continet hic liber xiij.

Item eiusdem frontini liber incipit sic: Cum omnis res ab imperatore delegata interiorem exigat & curam, et me seu naturalis solicitudo seu fides sedula, non ad diligentiam modo, uerum ad morem commisse rei

[17] Videndi sunt Sabbadini, *Stor. e Crit.* pp. 1-7; E. Jacobs, *Wochenschrift f. klass. Philol.* 1913, 701-2; A. Gudeman *ib.* 1913, 929-33; W. Aly, *Rhein. Mus.* LXVIII 636-7.

[18] Omnia non e catalogo, in quo nonnullos typographi errores deprehendi, sed ex ipso codice phototypice depicto transcripsi. Totum commentarium publicaui, *Classical Philology* XVI 251 sq. Scribendi compendia ubique explicaui.

[19] Lege *Hersfeldensi.*

instigent, sitque mihi nunc ab nerua augusto, nescio diligentiore an amantiore rei .p. imperatore aquarum iniunctum officium & ad usum &c. Continet .xi. folia.

Cornelii taciti de origine & situ germanorum liber incipit sic: Germania omnis a gallis [20] rhetiisque & pannoniis rheno & danubio fluminibus a sarmatis datisque & mutuo metu a montibus separatur etc. Continet autem xij folia. Item in eodem codice:

Cornelii taciti De uita Julii agricole Incipit sic: Clarorum uirorum facta moresque posteris tradere antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus, quamquam uniuersa suorum etas obmisit. Qui liber continet .xiiij. folia. Item in eodem codice:

Dialogus De oratoribus qui incipit sic: Sepe ex me requiris iuste fabi, cur cum priora secula tot eminentium oratorum ingeniis, gloria, floruerint: nostra potissimum etas deserta & laude eloquentiae orbata: qui liber continet xviij. folia. Item in eodem codice continetur liber—

Suetonii Tranquilli De grammaticis & rhetoribus, qui incipit sic: Grammatica romae ne in usu quidem olim nedum in honore ullo &c. Continet hic liber folia vij.

Ammiani Marcellini rerum gestarum libri xviij. Qui peruenerunt usque ad obitum Valentis imperatoris: qui est finis hystoriae.

Haec igitur indicia de codicibus in monasterio Hersfeldensi repositis ad duo inuentaria, quae monachus Hersfeldensis cum Poggio, unum exeunte mense Octobri anni 1425, alterum mense Maio anni 1427 communicauit, quaeque Poggius propediem Nicolao misit, referenda sunt.[21] Prioris autem inuentari a monacho Hersfeldensi curati apographon Bononiam Antoni Panormitae in manus peruenisse supra demonstratum est.[22] Panormitae Poggique testimonia cum Nicolai commentario quem modo exhibui ita conspirant, ut nemo dubitare possit quin ex eodem fonte deriuentur. Panormita in epistula ad Guarinum ea ipsa opera *uno in loco* delitescentia, quae in commentario Nicolai monasterio Hersfeldensi tribuuntur, notat, nisi quod unum Ammianum Marcellinum omittit. Cum autem Poggius non nisi altero monachi inuentario accepto de Ammiano uerba fecerit, prius inuentarium huius auctoris nomine caruisse uidetur. Idem etiam error de Frontini opusculo cum in Panormitae epistula tum in Nicolai commentario deprehenditur, cum liber secundus priore loco proferatur. Quod autem Panormita duo opuscula Tacitea *Germaniam* et *Agricolam* primo loco commemorat nihil est admirandum, cum non inuentari transcriptionem sed nuntium felicem de nouis scriptis repertis Guarino suo mit-

[20] *Galliis*, sed altera *i* expuncta.

[21] Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 168; p. 207 sq.; p. 210 sq. Vide supra p. 10 sq.

[22] Vide supra p. 9 sq.

teret, atque ea opera, quae maximi momenti haberet, prima nuntiaret. *Dialogum* tamen iusto loco reliquit cum de auctore eius in dubio esset. Cur autem de hac re esset incertus Nicolai commentarius aperte demonstrat, quippe qui huius opusculi auctorem non nominet. Poggius tamen duo opera, *primam decadem Titi Livii* et *unum volumen orationum Tullii*, quae in Hersfeldensi monasterio se habere debebant, laudat, de quibus Nicolaus tacet. Sed Nicolaus haec consulto omittere potuit, cum ut Poggi uerba *quae sunt apud nos communes* docent iam in usu essent. Aliae discrepantiae inter Panormitae epistulam et Nicolai commentarium eiusmodi sunt, ut eo explicari possint, quod Panormita nihil nisi apographon inuentari quod monachus Hersfeldensis Poggio miserat habebat, Nicolai autem commentarius, ut ad nostram aetatem Ciceronis cuidam codici adtextus peruenit, quot per uices euaserit, nemo scit.

Num Nicolai studia nouorum librorum per cardinalis Iuliani officia conquirendorum feliciter euenerint nescimus, quod tamen silentium continuum per uiginti quattuor annos negare uidetur. Quomodocumque haec res se habet, inter hos uiginti quattuor annos codex ille Hersfeldensis *Germaniam*, *Agricolam*, *Dialogum*, Suetonique *De Grammaticis et Rhetoribus* complectens, nescio qua uia aut cuius opera, Romam migrauerat. Namque anno 1455 ille ipse codex, nisi omnia fallunt, a Petro Candido Decembrio sacrae sedis secretario Romae uisus est, cuius testimonium pretiosissimum in cod. Ambrosiano R 88 sup. sec. XV f. 112 latens Remigius Sabbadinius e tenebris excitauit atque publici iuris fecit:[23]

> Cornelii taciti liber reperitur Rome visus 1455 de Origine et situ Germanie. Incipit:
>
> Germania omnis a Gallis retiisque et panoniis Rheno et danubio fluminibus a Sarmatis dacisque mutuo metu aut montibus seperatur. cetera occeanus ambit. Opus est foliorum xii in columnellis. Finit: Cetera iam fabulosa helusios et oxionas ora hominum vultusque corpora atque artus ferarum gerere. quod ego ut incompertum in medium relinquam. utitur autem cornelius hoc vocabulo inscientia non Inscitia:
>
> Est alius liber eiusdem de vita Julii agricole soceri sui. in quo continetur descriptio Britanie Insule, nec non populorum mores et ritus. Incipit:
>
> Clarorum virorum facta moresque posteris tradere antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum etas ommisit. Opus foliorum decem et quattuor in columnellis. finit: Nam multos veluti inglorios et ignobiles obliuio obruet, Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.

[23] *Rivista di Filologia* XXVIIII (1901) p. 262 sqq. E cod. Ambrosiano R 88 sup. sec. XV f. 112 phototypice depicta transcribo, nisi quod in schedula mea scriptura ita est diluta ut nonnumquam textum a Sabbadinio accuratissime editum secutus sim.

Cornelii taciti dialogus de oratoribus incipit:

Sepe ex me requiris iuste fabi, cur cum priora secula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra potissimum etas deserta et laude eloquentie orbata vix nomen ipsum oratoris retineat.

Opus foliorum xiiii. in columnellis. post hec deficiunt sex folia. nam finit: quam ingentibus verbis prosequuntur. Cum ad veroș iudices ventum. deinde sequitur: rem cogitare, nihil abiectum nihil humile. post hec sequuntur folia duo cum dimidio. et finit: Cum adrisissent [24] discessimus.

Suetonii tranquilli de grammaticis et rhetoribus liber. Incipit:

Grammatica rome nec in usu quidem olim, nedum in honore ullo erat, rudis scilicet ac bellicosa etiam tum ciuitate necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante.

Opus foliorum septem in columnellis. finit perprius. Et rursus in cognitione cedis mediolani apud lucium pisonem proconsulem defendens reum, cum cohiberent lictores nimias laudantium voces, ita excanduisset, ut deplorato Italie statu quasi iterum in formam prouincie redigeretur .M. Insuper brutum cuius statua in conspectu erat inuocaret Regum ac libertatis auctorem ac vindicem. Ultimo Imperfecto columnello finit: diu ac more concionantis redditis, abstinuit cibo.

Videtur in illo opere Suetonius innuere omnes fere rhetores et Grammatice professores, desperatis fortunis finiuisse vitam.

Quin codex quem uidit Decembrius idem fuerit atque Hersfeldensis codex, cuius descriptio Nicolai commentario continetur, non dubitari potest. Eadem opuscula eodem ordine disposita, eaedem fere inscriptiones, eidem foliorum numeri singulis operibus *Germaniae*, *Agricolae*, *De Grammaticis et Rhetoribus* attributi, omnia aperte demonstrant Decembrium ipsum Hersfeldensem codicem inspexisse. Decembrius autem multo copiosiorem descriptionem nobis reliquit, quippe qui titulis, foliorum numeris, primis uerbis uniuscuiusque opusculi adnotandis non contentus fuerit, sed libros legisse uideatur, atque uerba quibus singula opera terminarentur protulerit. Quin etiam obseruationes de suo addidit, atque indicia de codicis facie atque condicione dedit, inter quae hoc maximi habendum est quod opera in columellis scripta esse testatur. Non est admirandum si Nicolai commentarius prae Decembri notatione testimonia satis uitiosa exhibet, uelut in *Agricolae* primis uerbis *uniuersa* pro *incuriosa*, nam ipsius Decembri uerba autographa habemus, cum tamen Nicolai commentarius certe fata iniquiora perpessus est. Neque tamen commentarius ille spernendus est, cum, licet Decembrius tria opuscula Tacitea et Suetoni fragmentum in eodem codice fuisse innuat, hoc certo diiudicari nequiret nisi Nicolai uerba *Item in eodem*

[24] Post *adrisissent* primitus *surrex* scriptum erat deinde deletum.

codice post utriusque operis descriptionem posita nobis suppeditarent. Alia etiam Nicolai commentarius ad codicem Hersfeldensem restituendum conferre mihi uidetur, quae ad enarranda transeo.

Duae discrepantiae inter Nicolai et Decembri testimonia animaduertuntur, quae uiris doctissimis ita graues uisae sunt, ut alterius utrius fidei derogare uellent. Primo Nicolaus de *Dialogi* auctore tacet, Decembrius autem *Cornelii taciti dialogus de oratoribus* scripsit. Deinde teste Nicolao *Dialogus* duodeuiginti foliis continebatur, dum Decembrius quattuordecim folia ante lacunam (c. 35) et duo folia cum dimidio post eam notat, ita ut eo auctore *Dialogus* septendecim modo folia habuisse uideatur. Quae discrepantiae facile inter se conciliari posse mihi uidentur, neque ulla est causa cur alterutri testimonio fidem derogemus. Ad utrumque nodum explicandum codex Vindobonensis 711, qui mihi Suetonium pertractanti saepenumero auxilio subuenit, ueram rationem monstrare uidetur.

Vt ab ea re quam certiorem duco exordiar, in codice Vindobonensi haec inscriptio *Dialogo* praemissa est: *INCIPIT DIALOGVS DE ORATORIBVS.* Ad finem autem haec subscriptio legitur: *Cornelii taciti de oratoribus explicit.* Quin codex Vindobonensis, quippe qui in Suetonio archetypi memoriam tam saepe ubi in ceteris codicibus tamquam amissa est conseruasse uideatur, *Dialogi* inscriptionem et subscriptionem sic ut in Hersfeldensi codice se haberent proferat, uix dubium mihi uidetur. Quod si uerum est, monachus Hersfeldensis, qui nihil nisi singulorum opusculorum inscriptiones atque uerba prima transcripsit, Corneli Taciti nomen cum *Dialogo* coniunctum non inuenit. Decembrius autem, qui eos libros diligenter perlustrauit, Taciti nomen ad *Dialogi* finem inueniens, quasi inscriptionis pars esset, adduxit.

Impeditior est quaestio de foliorum numero, quibus *Dialogus* in Hersfeldensi codice continebatur. Nicolai commentarius simpliciter testatur, *qui liber continet xviij folia.* Decembrius autem haec scripsit: *Opus foliorum xiiii in columnellis. post hec deficiunt sex folia......deinde sequitur: "rem cogitare, nihil abiectum nihil humile." post hec sequuntur folia duo cum dimidio. et finit...* Cum Decembrius de foliis loquitur, cuiuis apparere debet eum folia scriptura repleta significare. Nam quid *folia duo cum dimidio* sibi uelle possunt nisi *tria folia* quorum unum paginam uacuam habet? Quare num Decembrium septendecim modo folia in *Dialogo* Hersfeldensi uidisse credamus necesse est? Minime! cum nihil impediat quin in illa lacuna post folium quartum decimum aliud folium uacuum intercederet, quod Decembrius foliorum uacuorum nullam rationem habens commemorare neglexerit. Quod non uerisimile sed uerum esse codex Vindobonensis 711 mihi persuadet, quippe qui ad lacunam indicandam duas fere paginas uacuas praebeat, hanc tamen notam proferat: *hic est defectus*

unius folii cum dimidio.[25] Sedecim igitur folia scripturae plena cum dimidio, quae Decembrius testatur, et unum folium uacuum cum dimidio, quod Hugo Haemste codicis Vindobonensis librarius in exemplari suo uidere debebat, duodeuiginti faciunt folia, quae monachus Hersfeldensis in archetypo inuenit. In libro Hersfeldensi igitur folium quintum decimum et pagina prior foli sexti decimi uacua erant. In altera autem sexti decimi foli pagina *Dialogi* textus uerbis *rem cogitare nihil abiectum nihil humile* iterum susceptus usque ad octaui decimi foli finem pertinebat.

Quod autem Decembrius sex folia post folium quartum decimum deficere testatus est, eum sex folia uacua in ipso Hersfeldensi codice uidisse non puto, sed multo magis hoc indicium de sex foliis deficientibus iam in ipso Hersfeldensi scriptum inuenisse habendus est. Vtrum re uera Decembrius *sex folia* an *sex paginas* in Hersfeldensi codice legerit uel legere debuisset, altera est quaestio. Codex Ottobonianus de illa lacuna haec testatur: *hic deest multum. in exemplari dicitur deesse sex paginas*; codex autem Vaticanus 1862: *hic desunt sex pagelle.* Vterque codex optimus habendus est, et e duobus Hersfeldensis codicis apographis diuersis ortus ducunt. Quare probabilius mihi uidetur unum Decembrium *folia* pro *paginae* perperam scripsisse quam duos librarios *paginae* (uel *pagellae*) scribentes in eundem errorem incidisse. Hoc autem modo, nisi fallor, factum est ut codex Ottobonianus et codex Vindobonensis, qui certe ex eodem codicis Hersfeldensis apographo transcripti sunt, testimonia discordia de lacuna proferant. Ottoboniani librarius id quod in exemplari scriptum uidit narrat, sed ita caute ut uerbo *dicitur* usus sit, dum Vindobonensis scriba non id quod scriptum uidit, sed id quod re uera in exemplari suo extabat, hoc est unum folium uacuum cum dimidio, testatur.[26]

[25] Scheuer (p. 48) et Philipp (1889, p. 290), qui uterque hunc codicem inspexerunt, duas fere paginas esse uacuas testantur. Gudemannus tamen in apparatu (*ad Dialog.* c. 35 ad fin.) obscure *aliquot uersus uacui* profert. Quare Gudemanno non possum non diffidere, cum uerba *hic est defectus unius folii cum dimidio* secundae manui in V (W in Suet.) attribuit.

[26] Quaestionem uexatam de magnitudine illius *Dialogi* lacunae ad praesens exagitare nolim; sin crederimus in Hersfeldensis codicis archetypo sex paginas uel uetustate consumptas uel nescio quo casu mutilatas fuisse, Hersfeldensis autem librarium in codice suo exarando eam rationem secutum esse ut exemplaris singulae paginae singulis columellis in nouo codice continerentur, omnia ad liquidum perduci uidebuntur. Nam Hersfeldensis codicis librarius sex columellas, hoc est unum folium cum dimidio, uacuas ea ratione relinquere potuit ut ea quae in exemplari sex paginis contenta essent, si olim integrius *Dialogi* exemplar in lucem prodiret, in sui codicis sex columellis uacuis scriberentur. Sed, ut de archetypi condicione accuratiorem notitiam daret, *sex paginas in exemplari* deficere scripsisse uidetur.

Meae rationi non obstat, quod Georgius Wissowa (p. XIV) *Dialogo* XVII folia tribuens codicem Hersfeldensem in sex quaterniones, inter tertiam et quartam duobus foliis inter se cohaerentibus interpositis, ita ut totus *Dialogus* et Suetoni fragmentum tribus ultimis quaternionibus continerentur, tam perite redegit (uide imaginem ab eodem prolatam). Nam si *Dialogus* non unum, ut putauit Wissowa, sed duo ultimae quaternionis folia complectebatur,

Restat ut de Alberto Enoch Asculano et eius peregrinatione librorum conquirendorum gratia disseram. Viri docti hodie, ut uidetur, inter se fere consentiunt, Enoch codicem Hersfeldensem anno 1455 Romam rettulisse. Saniorem tamen rationem secuti Georgius Voigtius,[27] Ricardus Wuensch,[28] Sanctus Consolius[29] de Enoch codicis Hersfeldensis inuentore optimo iure dubitationes mouerunt. Haec opinio, quae huius codicis inuentum Enoch Asculano attribuit, etiam nunc maximam partem duabus notis Ioannis Iouiani Pontani codici Leidensi adtextis, quas infra transcribam, subnititur. Quae autem hisce triginti annis ex uirorum doctissimorum indagationibus in lucem prodierunt, ut multis sententiam de Enoch Hersfeldensis codicis inuentore confirmare uidentur, sic me quidem iudice, si hanc opinionem non omnino explodunt, perdubiam saltem efficiunt.

In codicis Leidensis primi foli parte auersa ab eadem manu quae ipsum codicem exarauit[30] haec scripta leguntur: "Hos libellos Iouianus Pontanus excripsit nuper adinuentos et in lucem relatos ab Enoc Asculano quamquam satis mendosos. M.CCCC.LX martio mense." Itemque in foli quadragesimi septimi margine auersa ad nostri libelli Suetoniani primum caput haec inueniuntur: "C. Suetonius scripsit de viris illustribus, cuius exemplum secutus [31] Hieronymus ipse quoque libellum de scriptoribus Christianis edidit. Nuper etiam Bartholomeus Facius familiaris noster de viris illustribus temporis sui libros composuit. Qui ne hos Suetonii illustres uiros uidere posset mors immatura effecit. Paulo enim post eius mortem in lucem redierunt[32] cum multos annos desiderati a doctis hominibus essent. Temporibus enim Nicolai[33] quinti pontificis maximi Enoc Asculanus[34] in Galliam et inde in Germaniam profectus conquirendorum librorum gratia, hos quamquam mendosos et imperfectos ad nos retulit. Cui

---

nulla est causa cur aliud folium, uel par foliorum quorum alterum uacuum relictum erat, ad Suetoniani opusculi partem ultimam accipiendam addi non potuerit. Idem uero post tertiam quaternionem factum esse satis constat. Hoc etiam proposuit W. Peterson (*A. J. P.* XXXV p. 77), licet in ceteris rationem a mea longe alienam secutus sit. Wissowae ratio, quamuis perite eam persecutus sit, magna ex parte coniectura subniti debet; neque contra Nicolai commentari testimonium de *Dialogi* duodeuiginti foliis ualere potest, si modo Decembri testimonium cum illo in concordiam redigi potest, quod quidem fecisse mihi uideor.

[27] *Wiederbelebung* I p. 255, adn. 3; II p. 202, adn. 1.

[28] *Hermes* XXXII (1897) p. 57 sqq.

[29] *L'Autore della Germania* p. 67 sqq.

[30] Haec non est ipsius Pontani manus, cum ille non Leidensem codicem sed eius archetypum exarauerit. Vide infra p. 32, adn.19.

[31] *secutis* expunctum ante *secutus* in cod.

[32] *redier̃* cod.

[33] *Nicol.* cod.

[34] Littera *A* expuncta est, et *E* littera quamquam iam euanida uel erasa supra posita.

sic habenda gratia[35] ut male imprecandum est Sicconio Polentano Patauino, qui cum eam partem quae est[36] de oratoribus ac poetis adinuenisset,[37] ita suppressit ut ne unquam in lucem uenire posset. Quam ego cum Pataui perquirerem, tandem reperi eam ab illo fuisse combustam; ipsumque arrogantia ac temeritate impulsum de uitis illustrium scriptorum loquacissime pariter et ineptissime scripsisse. IOV. PONTANVS. VMBER excripsit."

Primo igitur ea quae de Enoch Asculani peregrinatione et libris quos reportauit uiri docti eruere potuerunt enarrabo, deinde quae ex his indiciis et Pontani testimonio mea opinione concludere liceat, exponam.

Albertus Enoch Asculanus a Nicolao V pontifice maximo in terras septentrionales librorum Graecorum Latinorumque conquirendorum gratia missus anno 1451 profectus est.[38] Redisse autem uidetur autumno anni 1455 aliquot mensibus post patroni sui Nicolai V mortem.[39] Cuius de reditu Theodorus Gaza ad finem eiusdem anni 1455 Roma Neapolim apud regem Alphonsum demigrans notitiam pertulit, ut ex Antoni Panormitae id temporis Neapoli degentis litteris ad Ioannem Aurispam discimus:[40]

"Theodorum tuum, quem mihi tantopere commendas, scito apud Alphonsum regem magnifice collocatum... Tu vero si me audis regem repete, qui te diligit et tibi meliuscule esse cupit...; cooptaberis mihi crede in amplissimas dignitates, si huc ad nos veneris...

"Veniens vero fac tecum deferas Apicium coquinarium et Caesaris Iter, ut refert Theodorus tuus, nunc iam meus, inventos Romamque perductos ..."

Huic epistulae respondens Aurispa die XIII mensis Decembris (a. 1455) haec quae ad nostram inquisitionem intersunt scripsit: "Apitium pauperem coquinarium quem petis vidi et legi; dictiones habet aliquas quae tibi forte placebunt...Caesaris Iter prosa oratione est, non versu. Porphirionem quendam in Oratium hic idem, qui Apitium ad nos perduxit, at-

[35] Primitus scripta esse uidentur *hn̂dę sunt gr̄ę*, tertia autem manus *hn̂dę* in *hn̂da* mutauit, *sunt* radendo deleuit et *est* suprascripsit, deinde idem *est* deleuit; denique *gr̄a* supra *gr̄ę* scripsit.

[36] *eam......est* supra uersum add.

[37] *est inuenisset* primitus scriptum esse uidetur.

[38] Epistula Nicolai V ad Ludouicum Erlichshusensem, quam Enoch secum portare debuit, die XXX mensis Aprilis a. 1451 data est. Quam uide apud Voigtium, *Wiederbelebung* II p. 200, adn. 3, siue apud Michaelisium, *Praef.* p. XXII. Enoch tamen aliquot mensibus post profectus esse uidetur, ut Gregori Corrari epistula ad Ioannem Arretinum die XXVIII mensis Octobris eiusdem anni data docet. Haec epistula apud Sabbadinium, *Stor. e Crit.* p. 276, edita est.

[39] Nicolaus V diem supremum obiit mense Martio a. 1455.

[40] Dies non indicatur, sed haec epistula haud diu ante sequentem scribi debuit. Haec et duae sequentes a Sabbadinio, *Stor. e Crit.* p. 283-7, publicatae sunt. De duabus primis epistulis anno 1455 et tertia anno 1457 uindicandis uide V. Rossium, *Rendiconti* Ser. V, II p. 138, adn. 4, et Sabbadinium *l. c.*

tulit, qui mihi magis aestimandus videtur quam quicquam aliud ab ipso adlatum. Sed eum qui codices hos invenit et Romam perduxit ad vos mittam cum omnibus musis suis. Putat enim si hos libellos regi donaverit aliquid praemii ab isto principe se habiturum, ad quod ego maxime illum exhortatus sum. Vale. Romae idibus decembris."

Anno et dimidio post Enoch libros suos nondum uendidisse altera Aurispae epistula ad eundem Panormitam die XXVIII mensis Augusti a. 1457 data docet: "Hisce diebus fuit hic Enochus. Quum eum rogarem ut eorum codicum quos e longinquis partibus attulit mihi copiam faceret, et praecipue Porphirionem super operibus Oratii petebam, respondit se velle omnia prius Alphonso regi tradere; cui opinioni ego hominem maxime sum exhortatus."

Alios quoque uiros litteris Latinis studentes de libris ab Enoch nuper reportatis habendis negotium dedisse epistulae a Carolo de Medicis, Cosimi filio spurio, pronotario apostolico ad Ioannem fratrem datae demonstrant.[41] His in epistulis primo mentionem de Enoch facit Carolus die XII mensis Martii a. 1456. Enoch nonnulla noua reportasse declarauit ille quae tamen pluris propter nouitatem quam propter utilitatem aestimanda essent, neque cuiquam transcribendi copiam dare uelle, cum prius magnum librorum pretium ab aliquo domino potente pro tantis laboribus se accepturum speraret. Inuentarium etiam librorum ab Enoch seruatorum in eadem epistula inclusit Carolus, quorum quattuor eos qui maximi habendi essent notauisset. Praeter illos quattuor codices, dicit Carolus, ceteros omnes *secundum opinionem multorum uirorum doctissimorum qui Enoch inuisissent haud flocci aestimandos, quibus etiam linguam Latinam melius carituram fuisse.*[42] Qui fuerint illi quattuor codices, alia in epistula die X mensis Decembris anni insequentis declarat Carolus haec nominans: Apicium *De Re Coquinaria*, Porphyrionem *in Horatium*, Suetonium *De Viris Illustribus*, *Itinerarium Augusti*,[43] quorum tres ab Aurispa iam laudati erant. Ex eadem epistula Enoch Roma Ascolum concessisse ibique paulo ante mortuum esse, Carolum autem ad Stephanum de Nardinis de eius codicibus uel eorum apographis habendis scripsisse discimus. Num negotium cum Stephano de Nardinis e Caroli sententia successerit nescimus.

His igitur testibus prolatis quo iure uiri docti affirment Enoch nostrum codicem Hersfeldensem rettulisse non extrico. Nam de Taciti operibus minoribus nulla omnino mentio fit, neque ullo modo cum Enoch Asculani

[41] A Victorio Rossio, *Rendiconti* Ser. V, II p. 129 sqq. editae. In temporum ratione Rossium auctorem ubique sequor.

[42] ". . . si che vedete se volete gettare via tanti danari per cose, che la lingua latina può molto bene fare senza esse, che a dirvi l'oppenione di molti dotti uomini, che gli anno visti, da questi quattro infuori che sono segnati . . . , tutto il resto non vale una frulla . . ." Rossius *l. c.*

[43] Intellegendum est *Itinerarium Antonini.*

nomine coniuncta esse uidentur. Ioannem autem Aurispam Porphyrionem opusculis Taciteis praetulisse, et uiros doctos qui id temporis Romae degebant *Germaniam*, *Agricolam*, *Dialogum*, quorum desiderio Poggius ante uiginti fere annos uelut tabescere uisus erat, quorumque eodem tempore Panormita tam laetum nuntium sese praestitit, haud flocci aestimandos atque linguam Latinam potius dedecorare quam ornare iudicauisse non credo. Neque argumenta uana, ne dicam futilia, quae ad hunc scrupulum tollendum commenta sunt, stare possunt. V. Rossius[44] omnia ad liquidum perducere sibi uisus est, cum iudicauit Enoch ex illo codice, quo Suetoni libellus et opera Tacitea continebantur, id solum opusculum quod suam animaduersionem praecipue excitauisset in inuentario adnotauisse, nomen autem *De Grammaticis et Rhetoribus* in *De Viris Illustribus* immutauisse, quo propter fabulam de hoc libello iam uulgatam[45] emptorem facilius inueniret. Quae ratio libelli Suetoniani titulum mutatum explicare possit, sed uerum nodum de opusculis Taciteis ex inuentario omissis nullo modo soluit. Certe non ita imperitus erat Enoch ut eum falleret Taciti opera minora uirorum doctorum cupidines ut cum maxime suscitatura fuisse. Immo uero haec in primis ad illud magnum pretium quod uellet merendum protulisset. Cur autem Maximiliani Lehnerdti opinionem[46] commemorem, qui Enoch non totius codicis contenta in inuentario adnotasse sed Suetoni modo libellum, propterea quod id primum locum obtineret, coniecit, siquidem in Hersfeldensi codice Suetoni opusculum non primum sed ultimum locum habebat? Neque maiorem fidem facit Annibaldi coniectura,[47] Enoch propter quandam malignitatem, qua contra suorum studiorum et diligentiae obtrectatores usus sit, ea ipsa inuenta quae pretiosissima essent celauisse.

Superstitio ista, quae Enoch nostri codicis Hersfeldensis inuentorem uult, praeter Pontani testimonium duobus argumentis subniti uidetur: primum quod illo ipso anno quo rediit Enoch Decembrius hunc codicem Romae uidit, deinde quod in inuentario ab Enoch comparato *Suetonius De Viris Illustribus* se habebat. Quorum argumentorum prius meo iudicio nihil ualet. Nam Decembri uerba *Cornelii taciti liber reperitur Rome uisus 1455* nihil indicant nisi annum quo ipse hunc codicem primum uidit. Sin ab Enoch codex nuperrime adlatus esset, hanc rem uix praetermissurus erat Decembrius.

Grauius quidem est alterum argumentum, cum, si Enoch Hersfeldensem codicem reportasse negauerimus, aut illud *De Viris Illustribus* cuius mentio

[44] *Op. cit.* p. 141.

[45] Famam de ea parte, quae erat de oratoribus et poetis, a Sicconio Polentano combusta in animo habuit Rossius. Vide Pontani notam supra p. 19 sq.

[46] *Hermes* XXXIII (1898) p. 501.

[47] *L'Agricola e la Germania* . . . 1907, p. 145.

fit in Caroli de Medicis epistula non sit noster libellus *De Grammaticis et Rhetoribus* aut duo huius opusculi exemplaria saeculo quinto decimo Romam translata sint. Sed cum omnes codices qui extant praeter dubium ad unum atque idem archetypum referendi sint, duo fuisse exemplaria credere nequeo. Quae cum ita sint, haud dubium mihi uidetur, quin ille *De Viris Illustribus* non fuerit noster *De Grammaticis et Rhetoribus* sed alter ille libellus *De Viris Illustribus* incerti auctoris, qui nunc uulgo Aureli Victoris operibus coniungitur. Huius opusculi codices altiore inquisitione magnopere egent. In longe plurimis codicibus libellus C. Plinio Secundo uel *Plinio oratori Veronensi* addicitur, sed unum librum manuscriptum saeculi quinti decimi *Suetonii Tranquilli* nomen exhibentem noui.[48] Idem autem opusculum Suetonio attribuitur in Angeli Sabini *paradoxis in Iuuenalem* Romae a. 1474 editis.[49] Talem etiam codicem Suetoni nomini addictum saeculo quinto decimo in Germania fuisse Francisci Pizolpassi die XVII mensis Decembris a. 1432 Nicolao Cusano scribentis uerba demonstrare uidentur:[50] "Tu quoque memorie habeto ut habeamus codices illos *Suetonii Tranquilli* ceterosque alios *de uiris illustribus ducibusque* iuxta firmata dudum."

Nunc ad Pontani testimonium, quod supra p. 19 exhibui redeundum est. Quae de Sicconio Polentono Patauino et de ea parte operis Suetoniani, quae erat de oratoribus ac poetis, ab eo combusta testatur ille, omni ueritate carere iudicanda sunt. Nam Polentonus ut tale scelus admitteret uix adductus esset nisi ea, quae in suo libro *De Scriptoribus Illustribus* componendo a Suetonio furatus esset, tegere uoluisset; sed eum ne minimam quidem Suetoni notitiam habuisse Ritschelius[51] specimine libri eius prolato demonstrauit. Hoc igitur mendacium nihil ad nostram rem pertinet, nisi quod monere debet, ne Pontano testi nimiam fidem tribuamus.

Quid autem de ceteris a Pontano prolatis iudicandum est? Hoc cuiuis primo obtutu apparere debet, Pontanum nullam accuratiorem notitiam de codice Hersfeldensi habuisse, cum *hos libellos*, scilicet Taciti *Dialogum*, *Germaniam*, Suetoni fragmentum, ab Enoch Asculano nuper adinuentos et in lucem relatos testans, nihil omnino de *Agricola* dixerit, quae tamen eiusdem codicis Hersfeldensis pars erat. Quo etiam iure credere possimus Pontanum Neapoli degentem plura de libris ab Enoch reportatis cognouisse quam Aurispam, Carolum de Medicis, aliosque qui Romae uersabantur? Quid, quod Pontanus in codice suo exarando titulum *De Grammaticis et*

[48] Codex Marlboroughianus Blenheimensis. Vide infra p. 29, adn. 1.

[49] Ad *Sat.* I, II, III, VI l. 308, VIII. Osannum Rothiumque auctores sequor, cum Sabini librum habere non potuerim.

[50] Apud Sabbadinium, *Scoperte* II p. 18. Sabbadinius aliquod Hersfeldensis codicis apographon Pizolpassi uerbis significari, uerba autem *ceterosque alios de uiris illustribus ducibusque* ad Taciti opera minora repsicere putat. Quod uerisimile non credo.

[51] *Parerg.* I p. 632 sqq. Vide et Reifferscheidium, *Quaest. Suet.* p. 364.

Rhetoribus in *De Viris Illustribus*[52] ita immutauit, ut ad titulum in inuentario Enochiano se conformaret? Nonne hoc per se suspiciones mouere debebat? Quare haud longe a uero aberrare uidebimur, si iudicauerimus Pontanum nihil de codicibus ab Enoch relatis nouisse nisi ea quae inuentarium Enochianum praestaret; aliquanto autem post illud inuentarium inspectum codicem quendam Taciti *Dialogum*, *Germaniam*, Suetoni *De Grammaticis et Rhetoribus* complectentem repperisse, qui codex non fuit Hersfeldensis apographon, ut uulgo credunt, sed tribus saltem gradibus ab eo remotus.[53] Hunc igitur codicem inspiciens Pontanus, et Suetoni *De Grammaticis et Rhetoribus* animaduertens, notitiam quam de opere Suetoniano *De Viris Illustribus* ex Hieronymo habebat cum ea quam inuentarium Enochianum ei praebebat coniunxisse uidetur, atque temere statuisse illum libellum, qui manibus suis uersabatur, uel eius archetypum ab Enoch reportatum esse. Cum autem Taciti *Dialogus* et *Germania* eodem codice continerentur, haec quoque opuscula mera coniectura, nisi fallor, eidem inuentori attribuit.

Testium nostrorum de libro Hersfeldensi agmen claudat codex Aesinus, qui anno 1902 in bibliotheca comitis Aureli Guilelmi Balleani Aesi[54] repertus est. Hic codex, cuius accuratissima descriptio in docta Caesaris Annibaldi commentatione (a. 1907) inuenitur, folia 76 complectens, quorum ultimum uacuum est relictum, haec opera sic ut uides disposita continet: ff. 1-51 Dictyis *Bellum Troianum*, ff. 52-65 Taciti *Agricolam*, ff. 66-75 eiusdem *Germaniam*. Scripturae duarum diuersarum aetatum in hoc codice deprehenduntur, nam quinquaginta duo folia, uidelicet *Belli Troiani* ff. 5-8, 11-50, *Agricolae* ff. 56-63, scripturam Carolinam, quae uocatur, saeculi noni uel decimi prae se ferunt; cetera tamen folia uiginti tria, scilicet *Belli Troiani* ff. 1-4, 9-10, 51, *Agricolae* ff. 52-55, 64-65, una cum tota *Germania*, saeculi quinti decimi manum detegunt. In *Belli Troiani* parte antiqua aliam manum ab ea quae octo *Agricolae* uetera folia exarauit agnouit Annibaldius, quamquam utraque eidem aetati referenda sit. Folia autem nouicia omnia eidem manui uindicanda iudice Annibaldio a Stephano Guarnerio Auximate sunt confecta. Omnes autem paginae et antiquae et suppletae binas columnas habent, unde partem nouam ad imitationem uetustioris archetypi dispositam, atque, ut Annibaldi est sententia, ex eiusdem archetypi foliis nunc deperditis transcriptam esse constat. Quattuordecim foliorum, quibus *Agricola* continetur, prima quattuor nouicia sunt, sequuntur autem octo folia uetera in unam quaternionem disposita; duo deinde ultima folia sunt nouicia. Folium 69, in quo *Germaniae* pars scripta est, et folium 76

[52] Codex Leidensis, cuius archetypum exarauit Pontanus, solus inter nostros codices titulum *De Viris Illustribus* habet.

[53] Vide infra p. 122 sqq.

[54] Id est oppidum *Jesi* prouinciae Anconitanae.

uacuum relictum, quae nunc totius codicis ultimae quaternionis par extimum faciunt, uetustioris sunt membranae atque olim antiqua scriptura repleta erant. Cuius scripturae antiquae uestigia non plane euanida ita apparent, ut Annibaldius certo iudicare potuerit haec duo folia (69 et 76) olim nullo alio folio interposito *Agricolae* ultimam partem, quae nunc in duobus foliis nouiciis (ff. 64-65) se habet, continuisse; *Agricolae* autem folia nouicia (64-65) ex his duobus foliis uetustioribus, postea erasis, transcripta esse. Nec minus certum uidetur prima quattuor *Agricolae* folia nouicia ex quattuor uetustis eiusdem archetypi foliis nunc deperditis profluxisse. *Agricola* enim Hersfeldensis teste Decembrio erat *opus foliorum decem et quattuor in columellis*. Quae cum ita sint, non dubitari potest quin in Aesino codice octo folia integra (ff. 56-63), haec est tota quaternio, et duo folia erasa (ff. 69, 76) ipsius codicis Hersfeldensis conseruentur.

In foliorum erasorum (ff. 69, 76) scripturae antiquae uestigiis manum diuersam ab ea quae octo *Agricolae* folia uetera integra exarauit deprehendere sibi uisus est Annibaldius. Vnde quaestio grauissima, ut mihi uidetur, exoritur, utrum una an duae fuerint manus in codice Hersfeldensi. Nam si nostrum fragmentum Suetonianum non ab eadem manu atque *Agricolae* Aesini folia octo uetera exaratum est, satis constat Aesinum codicem non eiusdem esse auctoritatis in archetypo Suetoniano restituendo. Opinionem ab Annibaldio non summa fiducia prolatam persecutus W. Peterson,[55] quasi res extra omnem dubitationem poneretur, duas non unam fuisse manum in Hersfeldensi codice affirmauit. Neque hoc contentus alteram opinionem proposuit, codicem Hersfeldensem fortasse ita bipertitum fuisse, ut pars una saeculo decimo, pars autem altera posterius uel saeculo tertio decimo confecta esset. Sed Annibaldius nullum argumentum profert ad alteram manum statuendam nisi quod scriptura erasa in duabus ueteribus membranis (ff. 69, 76) subtilior atque eiusmodi esset, ut litterae densiores se praestarent et plura uerba singulis uersibus et columnis continerentur.

Cum haec quaestio ad nostram indagationem de archetypo Suetoniano magnopere intersit, computationem satis laboriosam institui, quae mea quidem opinione demonstrare debet nullum argumentum ad duas manus statuendas e scriptura subtiliore elici posse, nedum Petersoni de codicis diuersis aetatibus adsentiamur. *Agricolae* Aesini octo folia uetera (56-63) textum a c. 13, 2 *munera*[56] ad c. 40, 7 *ad Agricolam* complectuntur. In Halmi editione Teubneriana, 1884, haec *Agricolae* pars circiter 4150 cm. occupat. 4150 in 32 (hic est columnarum numerus in quas contenta eorum octo foliorum distributa sunt) partes diuidentes numerum 130 fere efficimus. Hoc est, in *Agricolae* Aesini octo foliis ueteribus (56-63) singulae

[55] *A. J. P.* XXXIIII (1913), p. 10-11.

[56] Halmi editione Teubneriana 1884 ubique utor.

columnae ut peraeque ducamus tot uerba, quot in editione Teubneriana 130 cm. obtinent, complectuntur. Transeamus nunc ad *Germaniam*, quae in Hersfeldensi codice primum locum obtinebat. In eadem editione Teubneriana totius *Germaniae* textus per 5800 cm. fere ducitur. *Germania* autem Hersfeldensis teste Decembrio in 12 folia uel 48 columnas distributa erat. Si subscriptioni .366 fere partem[57] unius columnae, inscriptioni autem dimidiam columnam[58] attribuimus, ea quae in editione Teubneriana per 5800 cm. ducta sunt in archetypo Hersfeldensi in 47.134 [48-(.5+.366)] fere columnas distributa erant. Ergo tot uerba, quot in editione 123 cm. (5800÷47.134=123+) obtinent, in *Germania* Hersfeldensi singulis columnis continebantur. *Agricolae* Hersfeldensis prima quattuor folia textum ab initio usque ad c. 13, 2 *munera* complectentia eadem ratione tractantes, uerba, quae in editione Teubneriana per circiter 1900 cm. ducta sunt, in Hersfeldensi codice 15.5 columnas[59] occupauisse reperimus. Singulae columnae igitur circiter 123 cm. (1900 ÷ 15.5 = 122.5) textus Teubneriani habebant. Quare continuo apparet in Hersfeldensi codice totius *Germaniae* et *Agricolae* foliorum quattuor priorum scripturam eiusdem densitatis fuisse, sed solutiorem quam *Agricolae* foliorum octo sequentium, quae nunc in Aesino codice conseruantur (ratio autem est 123:130). Nunc ad *Agricolae* textum reliquum, c. 40, 7 *ad Agricolam* ad finem, in editione Teubneriana circiter 1170 cm. obtinentem, in archetypo autem per 7.634 fere columnas[60] distributum, transeo. In hac parte singulae columnae circiter 153 cm. (1170÷7.634=153.2+) textus Teubneriani amplectebantur. Unde apparet Annibaldium scripturam subtiliorem ac densiorem in hac *Agricolae* parte recte agnouisse, sed non eodem iure de altera manu statuisse. Quod tamen ex sequentibus certius fiet.

Dialogum, qui in Hersfeldensi codice tertium locum habebat, eadem computatione tractaui. Teste Decembrio huius libelli pars quae est ante lacunam, c. 35 *iudices uentum*, in Hersfeldensi codice quattuordecim foliis, hae sunt 55.5 columnae,[61] continebatur. Quae pars autem in eadem editione Teubneriana per circiter 7780 cm. ducta est, ita ut in archetypo singulae columnae fere 140 cm. (7780÷ 55.5=140.1+) textus Teubneriani continerent. *Dialogus* igitur hac in parte scripturam subtiliorem uel densiorem quam *Germania* et *Agricolae* priora duodecim folia habebat, solutiorem tamen quam *Agricolae* ultima duo folia. *Dialogi* autem altera pars

[57] Hersfeldensis *Agricolae* textus teste Annibaldio in uersu 19 ultimae columnae alterius foli erasi (nunc f. 76 in Aesino codice) desinebat. Singulae columnae autem tricenorum uersuum (sic in Aesini *Agricolae* ueteribus foliis) erant. Subscriptio igitur spatium 11 fere uersuum (30–19=11) uel .366 partem (11÷30=.366) unius columnae occupauisse uidetur.

[58] Sic fere in *Agricolae* Aesini (suppleti) inscriptione.

[59] Dimidiam columnam ut semper inscriptioni tribuo.

[60] Subscriptioni .366 columnae partem attribuo.

[61] Dimidiam columnam inscriptioni tribuo.

post lacunam, c. 36 *rem cogitant* ad finem, duobus foliis cum dimidio, uel 9.634 columnis[62] continebatur, et in editione Teubneriana per circiter 1530 cm. ducta est. Singulae igitur columnae in archetypo 159 cm. (1530 ÷ 9.634 = 158.8) secundum rationem Teubnerianam habebant. Scriptura igitur in *Dialogi* ultima parte densior erat quam in ulla codicis parte praecedente, unde confirmatur opinio, quam supra (p. 17 sq.) protuli, dimidium folium uacuum, quod e Decembri testimonio agnoscendum est, non ad libelli finem fuisse, sed in lacuna, cum nulla sit causa cur librarius uerba ita stipaturus fuerit ut dimidium folium ad finem uacuum relinqueretur.

Peruenimus tandem ad nostrum libellum Suetonianum, qui in Rothi editione Teubneriana, 1907 (1858),[63] per circiter 4250 cm. tractus est, in Hersfeldensi autem codice septem foliis continebatur. Sed ultimae paginae altera columna si Decembrio fidem habemus, uerba modo a *uindicem* c. 30 (p. 127, 4) ad finem habebat (sunt autem in editione 25.5 cm.). Quot igitur uerba in editione Teubneriana per 4224.5 cm. (4250–25.5 = 4224.5) ducta sunt in codice Hersfeldensi modo per 26.5 columnas[64] distributa erant, etiam si nullum spatium grammaticorum rhetorumque indicibus, qui toti libello praemissi erant, tribuimus. Singulae igitur columnae aliquanto plus 160 cm. (4224.5 ÷ 26.5 = 159.4+) textus Teubneriani habebant, cum indicibus spatium aliquod concedere oporteret. Quare in Suetoni libello scriptura etiam densior erat quam in *Dialogi* ultimis duobus foliis et dimidio. Quo comparatio inter singulas codicis Hersfeldensis partes facilius fiat, quae ex inquisitione mea euenerunt hanc in tabulam contuli, ita ut statim compareat quantum spatium in editione Teubneriana singulae textus partes nunc occupent, quae olim in archetypo singulis columnis, ut peraeque ducamus, continerentur:

Germania	ff.	1—XII	123 cm.
Agricola	ff.	I—IIII	123 cm.
Agricola	ff.	V—XII	130 cm.
Agricola	ff.	XIII—XIIII	153 cm.
Dialogus[65]	ff.	I—XIIII	140 cm.
Dialogus		XVI^{v}—XVIII	159 cm.
Suetonius	ff.	I—VII	160+cm.

Quae ex hac computatione euadant nemo non perspiciet. Si quandam normam ad manuum diuersitatem statuendam in sola scripturae densitate

[62] Subscriptioni .366 columnae partem tribuo.

[63] Haec editio, quod iudicare possim, eisdem typis est descripta atque Halmi editio, qua in operibus minoribus Taciteis usus sum.

[64] Dimidiam columnam inscriptioni tribuo.

[65] Inter folium XIIII et foli XVI partem auersam intercedebant folium uacuum et dimidium. Vide supra p. 17 sq.

quaeramus, non pro duabus manibus in Hersfeldensi codice sed pro tribus saltem statuere debeamus. Nonne autem luce clarius apparet codicem Hersfeldensem uno atque eodem fere tempore atque, quod iudicare possimus, ab uno eodemque librario exaratum esse, qui tamquam certum foliorum numerum habens, quae illis quattuor opusculis replendae essent, litteras subtiliores et densiores gradatim efficeret, ne membranae ad totum opus perficiendum deessent? Cui opinioni non obstat quod *Agricolae* duo ultima folia densiore scriptura repleta erant, quam *Dialogi* proxime sequentia folia, cum satis constet librarium textum ita producere noluisse ut *Agricola* in sequentis paginae media parte desierit.

De libelli Suetoniani archetypo, ut quae supra exposui breuiter repetam, haec fere statuere possumus. (1) In uno codice cum Taciti operibus minoribus coniunctum erat. (2) Quantum iudicare possumus, totum codicem una atque eadem manus exarauit. (3) Hic codex saeculo nono uel decimo, non saeculo tertio decimo ut uoluit Rothius, confectus est. (4) In monasterio Hersfeldensi, non Fuldensi uel Corbeiensi ut erat Reifferscheidi opinio repositus erat. (5) Ille ipse antiquus codex, non eius apographon, ut Reifferscheidius putauit, Romam inter annos 1431 et 1455 reportatus est. (6) Codicem ab Enoch Asculano relatum esse numquam probatum est, neque uerisimile uidetur. (7) Codicis Hersfeldensis una quaternio integra *Agricolae* textum a c. 13, 2 *munera* ad c. 40, 7 *ad Agricolam* amplectens in codice Aesino hodie seruatur.

CAPVT II

In qvo vndeviginti Codices qvi Aetatem tvlervnt breviter describvntvr

Opusculi Suetoniani *De Grammaticis et Rhetoribus* libri manuscripti undeuiginti,[1] quod sciam, omnes saeculi quinti decimi parte posteriore confecti hodie sunt superstites. Hos ad unum archetypum referendos id praecipue demonstrat, quod omnes sic ut Hersfeldensis codex secundum Decembri testimonium cum uita Albuci Sili (c. 30 *abstinuit cibo*) desinunt, ita ut undecim rhetorum uitae, quorum nomina in indice toti libello praemisso reperiuntur, deficiant. Eodem pertinent haud paucae corruptelae, quae in omnibus codicibus deprehenduntur, uelut c. 3 (p. 102, 12)[2] *panosagacema*; c. 4 (p. 103, 13) *tigida* (*ticida* e coniectura **L**); c. 7 (p. 106, 6) *hoc* uel *hic*; c. 10 (p. 108, 11) *hermam* uel *haere*; c. 13 (p. 110, 21) *eros nametra* uel *hero suo Metre*; c. 14 (p. 112, 1) *uelim cum mihi ille iucundus esse* omis.; c. 26 (p. 123, 13) *significabat*; c. 29 (p. 124, 20) *extricte* uel *extitisse*, (p. 125, 6) *in quem*.

Horum codicum manuscriptorum omnium exemplaria phototypice depicta[3] Vniuersitatis Illinoiensis numquam satis praedicanda liberalitate in meum usum conquisita ipse contuli. His accedunt quinque editiones impressae uetustissimae, quas et ipsas phototypice expressas tamquam codices contuli. Libros manuscriptos et uetustissimos impressos primo breuiter describam, deinde ad nexum quem inter se habeant exponendum transibo.

O Codex Ottobonianus 1455 in bibliotheca Vaticana repositus, chartaceus, foliorum 346. Insunt: fol. 1-5a, Messala Coruinus *De Progenie Sua*; fol. 5a-9b, Suetonius *De Grammaticis et Rhetoribus*; fol. 9b-19b, Tacitus *Dialogus*; fol. 19b-36a, Pomponius Mela *Cosmographia*; fol. 37a-41a, Cornelius Nepos *ex libro de Latinis Historicis*;

[1] Ne quis me ignorare putet Arthurum Schoenemannum in dissertatione inaugurali, a. 1910 (p. 47 sq.), uiginti huius libelli codices proferre, codex *Marlboroughianus Blenheimensis* non est noster *De Grammaticis et Rhetoribus*, sed liber *De Viris Illustribus* incerti auctoris, qui Aureli Victoris operibus uulgo coniungitur. Quod quidem locus ab ipso Schoenemanno citatus apertissime demonstrat: H. Schenkl, *Bibl. patr. lat. Brit.* n. 4960, *Sitzungsber. d. Wien. Ak.* 150, p. 76. "4°, ch. s. XV. 1. *De Scipionibus*. 2. Suetoni tranquilli *de uiris illustribus* opusculum eruditissimum feliciter incipit. *Phoca rex* etc. 3. Eutropii *Historiae*." Codex autem Ambrosianus a Schoenemanno quasi Suetonium solum continens laudatus unus atque idem est ac codex Ambrosianus H 29 sup., qui *Dialogum* et Suetoni fragmentum complectitur.

[2] Paginarum numeri ubique ad editionem Reifferscheidianam respiciunt.

[3] Codice Leidensi phototypice edito, Lugduni Batauorum, ex officina A. W. Sijthoff, 1907, usus sum.

fol. 41b-45b, Io. Bochacius *Tabula Genealogiarum*; fol. 47a-133a, *Ex Genealogiis Deorum*; fol. 133b-136b, uacua; fol. 137a-237b, Pius II Pont. Max. *Historiarum Blondi Commentaria*; fol. 237b-239b (?),[4] Leonardus Aretinus *In Vitam Virgilii*; fol. 239b-243b, Rinuccius *Decreta Atheniensium Traducta ad Poggium*; fol. 243b-346a, Blondus Forliuiensis *Italia Illustrata*.

Cur hunc codicem ante annum 1466 exaratum credam infra (p. 56) docebo. Contulit ante me L. Lerschius, cuius collationem edidit Reifferscheidius.

W Codex Vindobonensis 711, Vindobonae in bibliotheca quae *Haus-Hof- und Staats-Archiv* uocabatur repositus, chartaceus, uoluminum trium, quorum primum 239, alterum 331, tertium 254 folia numerata continent. Scripsit Hugo Haemste Romae anno 1466, ut subscriptio in alterius uoluminis folio 331a docet. In uolumine primo haec insunt: fol. 1-179a (post aliquot folia uacua), Blondus Forliuiensis *Italia Illustrata*; fol. 180a-194b, Blondus Forliuiensis *De Verbis Romanae Locutionis ad Leonardum Arretinum* cum responsione Arretini; fol. 195a-196b, *Dialogus Charontis et Mercurii*; fol. 197a-199b, Blondus Flauius *Littera ad Baptistam, Caput de Ferro*...; fol. 200a-211b, Tacitus *Germania*; fol. 212a-230b, Tacitus *Dialogus*; fol. 230b-239a, Suetonius *De Grammaticis et Rhetoribus*.

Hunc codicem in lucem primus protulit Ioannes Huemer, qui anno 1878, *Zeitschr. f. d. Oesterr. Gymn.* XXVIIII p. 801 sqq., *Dialogi*, Suetoni fragmenti, *Germaniae* lectiones ex eo selectas publicauit. In Suetonio contulit Maximilianus Ihmius, indeque selectas lectiones edidit atque tractauit a. 1906, *Rhein. Mus. N. F.* LXI p. 543 sqq.

Hoc in codice manus secunda ob atramentum pallidioris coloris facile deprehenditur. Quae manus iudice Ed. Philipp[5] anno 1520 posterior esse non potest.

N Codex Neapolitanus IV. C. 21 olim Farnesianus,[6] Neapoli in bibliotheca nationis adseruatus, membranaceus. Insunt: Tacitus *Annales XI–XVI*; id. *Historiae I-V*; id. *Dialogus*; *Germania*; Suetonius *De Grammaticis et Rhetoribus*. Contulit ante me L. Lerschius, cuius collationem edidit Reifferscheidius.

[4] *fol. 339b* (!), Reifferscheidius.

[5] *Wiener Studien* XI (1889) p. 288.

[6] Descriptus est in Cataldi Ianelli *Catalogo Bibl. Lat. Reg. Neap. Mus. Borb.*, Neapoli, 1827. Eadem fere descriptio in Ecksteini praefatione ad Waltheri *Tacitum* (1833) IV p. IX, siue in Orelli praefatione ad Tacitum (1846) I p. XV.

G Codex Gudianus 93, Guelferbyti repositus,[7] membranaceus, foliorum septem. Nihil nisi Suetoni libellum continet. Contulerunt ante me Theodorus Moebius, cuius collationem edidit Rothius, et Augustus Reifferscheidius.

I Codex Vaticanus 1518,[8] membranaceus, foliorum 198. Insunt: Porphyrio *in Horatium*; *Persii uita* et Cornuti *in Persium commentum*; Suetonius *De Grammaticis et Rhetoribus* (ff. 166b-174 dupl.);[9] Tacitus *Dialogus*; id. *Germania*. Adhibuit olim Achilles Statius in editione a. 1565 curanda, ut hae lectiones inter alias ab eo prolatae[10] demonstrant: c. 2 (p. 101, 12) *eques* omis.; c. 3 (p. 102, 12) *pansagasansema*;[11] c. 4 (p. 104, 10) *e grammatici Statii*[12] *ludo*; c.13 (p. 110, 21) *Straberius nametra epturus*; c. 26 (p. 123, 14) *hordeam*. Reifferscheidius Lerschi collatione usus est.

B Codex Bodleianus Canonicianus Lat. class. 151, in bibliotheca Bodleiana Oxonii adseruatus, membranaceus. Suetoni libellus octo foliis et dimidio continetur. Praeter Suetonium insunt miscellanea, praesertim excerpta ex Augustini operibus. Primus contuli.

D Codex Hauniensis, olim ex libris Ioannis Grammi,[13] chartaceus. Insunt: Plinius (sic) *De Viris Illustribus*; Suetonius *De Grammaticis et Rhetoribus*; Modestus *De Re Militari*. Suetoni libellus quindecim foliis et dimidio continetur, quae ab 1 ad 16 manu recentiore numerata sunt. Haud scio an olim hunc codicem contulerit Lerschius.[14] Nemo tamen ante me in Suetonio edendo adhibuit.

V Codex Vaticanus 1862, chartaceus, foliorum 43. Insunt: fol. 1a-13a, Tacitus *Germania*; fol. 13b-23a, Suetonius *De Grammaticis et Rhetoribus*; fol. 23b-43b Tacitus *Dialogus*. Adhibuit olim Achilles Statius, ut hae lectiones inter alias ab eo in commentario prolatae docent: c. 4 (p. 104, 10) *grammatici statim*;[15] c. 10 (p. 108, 1) *notus*; c. 13 (p. 110, 21) *hero suo Metre emtus*[16] *de catasta*; c. 15 (p. 112, 14) *domino* omis.;[17] c. 26 (p. 123, 14) *Ordinarium*.[18] Contule-

[7] Cf. Ebert, *Bibl. Guelf.*, Lipsiae 1827, p. 159.

[8] Vide Reiff. p. 99; Scheuer, p. 2.

[9] Sic in codice folium designatur. Item folium praecedens numerum *174 dupl.*, qui erasus est, olim habebat. Folium sequens simpliciter *174* habet.

[10] Duobus Vaticanis usus est Statius, 1518 et 1862.

[11] Perperam dicit Achilles *in manuscriptis*, quasi haec lectio in Vaticano 1862 quoque sit.

[12] Est autem in I *stacii* pro *statim*.

[13] Vide quae Arntzenius in *Praefatione* ad Aurelium Victorem, Amstelodami et Trajecti Batav., 1733, ex Grammi epistula de hoc codice protulit.

[14] Vide Osannum, *Praefat.* p. 33.

[15] V solus inter Vaticanos hanc lectionem exhibet.

[16] *emptus* in V.

[17] Errat Statius quod *domino* in utroque Vaticano omissum dicit.

[18] Est autem *hordinarium* in V.

runt L. Lerschius et Adolphus Michaelisius, quorum collationibus usus est Reifferscheidius.

L Codex Leidensis XVIII Periz. Q. 21, in bibliotheca academiae Lugduno-Batauae adseruatus, membranaceus, foliorum 59. Insunt: fol. 2a-30a, Tacitus *Dialogus*; fol. 31a-46b, Tacitus *Germania*; fol. 47a-59b, Suetonius *De Viris Illustribus* (sic). Hic codex est apographon eius codicis deperditi, quem Ioannes Iouianus Pontanus anno 1460 exarauit.[19] Ludouicus Trossius hunc codicem in lucem anno 1840 protulit. Post Trossium contulerunt in Suetonio Fr. Ritschelius a. 1842, C. L. Rothius a. 1857, A. Reifferscheidius a. 1860, aliique.[20] Rothius Reifferscheidiusque tamen in editionibus suis curandis collatione a Trossio neglegentissime facta, a Ritschelio autem correcta,[21] usi esse uidentur.

M Codex Marcianus Class. XIIII 1 mss. lat. colloc. 4266,[22] Venetiis in bibliotheca Marciana repositus, chartaceus, foliorum 224 numeratorum. Scriptus est Bononiae anno 1464 ad petitionem doctoris Ioannis Marcanouae, ut notae in foliis 184b, 193b, 222a demonstrant. Insunt: fol. 1-166a, Aeneae Silui de Piccolominis (olim cardinalis Senensis, postea pontificis maximi Pii II) *De Ortu Gothorum*; eiusdem quaedam orationes, breuia apostolica, bullae;[23] fol. 166b-172b, Suetonius *De Grammaticis et Rhetoribus*; fol. 172b-184b, Tacitus *Dialogus*; fol. 186a-193b, Tacitus *Germania*; fol. 196a—, Flauius Iosephus *De Bello Iudaico*. Duae manus in hoc codice deprehenduntur, quorum una opuscula Tacitea et fragmentum Suetonianum, altera cetera omnia exarauit. Haec etiam manus in Taciti opusculis et Suetoni libello correctiones fecit et notas marginales adiecit. Accuratam huius codicis collationem in Suetonio edidit G. Funaioli a. 1909, *Studi Italiani* XVII p. 269 sqq. Primus in editione curanda adhibui.

K Codex Ambrosianus H 29 sup.[24] in bibliotheca Ambrosiana Mediolani adseruatus, chartaceus, foliorum 43 numeratorum. Continet:[25] fol. 1a-14b Suetoni *De Grammaticis et Rhetoribus*; fol. 15a-43b, Taciti *Dialogum*. Accuratissimam collationem edidit R. Sabba-

[19] Vide Pontani notas supra p. 19 sq. exhibitas. Hunc ipsum codicem a Pontano non esse exscriptum extra omnem dubitationem demonstrauit Georgius Wissowa (p. XVIII).

[20] Vide Wissowam, p. XXXII adn. 1.

[21] *Parerg. Plaut.* I p. 610 sqq.

[22] Videndi sunt A. Thomas, *Münchener Gelehrte Anzeigen* XXXVI (1853) p. 1-4; Philipp 1904; Funaioli 1909.

[23] Accuratior notitia apud Thomam inuenitur.

[24] Videndi sunt Sabbadinius 1903; Philipp 1904.

[25] Tituli manui posteriori assignandi sunt. Vide infra p. 141, adn. 226.

dinius a. 1903, *Studi Italiani* XI p. 229 sqq. Primus in editione curanda adhibui.

H Codex Harleianus 2639[26] Londini in Museo Britannico adseruatus, membranaceus, foliorum 43. Continet: fol. 2a-14b, Suetoni *De Grammaticis et Rhetoribus*; fol. 15a-43b, Taciti *Dialogum*. Ante annum 1470 scriptus esse uidetur.[27] Contulit satis neglegenter Fr. Osannus.

P Codex Parisinus 7773 Lutetiae in bibliotheca nationis repositus,[28] membranaceus. Insunt: Suetonius *De Grammaticis et Rhetoribus* (ff. 1a-26b); Tacitus *Dialogus*. Hic saepissime omnium adhibitus est. Primus Petrus Pithoeus in *Dialogo* edendo a. 1580 hoc codice usus[29] (*exemplar in Italia ante aliquot annos descriptum* dicit) parti Suetonianae quoque operam dedisse uidetur, siquidem lectionem *incipere* (c. 30, p. 126, 2) *ex uetere suo exemplari* protulit.[30] Secundus erat Iacobus Bongarsius, si Rothi opinionem [31] sequimur, cuius collatione in editione a. 1595 usus est Casaubonus. Deinde ipsum codicem Paulus Petauius, qui eum tunc possidebat, Casaubono alteram editionem a. 1610 exornanti commodauisse uidetur.[32] Isaaci Vossi quandam collationem adhibuerunt Petrus Burmannus a. 1736 et Franciscus Oudendorpius a. 1751 in editionibus curandis, quam ad eiusdem Parisini codicis fidem factam praeter dubitationem demonstrauit Fr. Osannus.[33] Frid. Aug. Wolfius etiam Leclusi merito huius codicis collationem ad editionem suam a. 1802 exornandam adeptus est.[34] Denique Osannus Rothiusque editiones suas praeparantes comparauerunt. Parisinum Harleiani esse apographon infra (p. 162 sq.) docebo.

U Codex Vrbinas 1194 in bibliotheca Vaticana repositus, membranaceus. Insunt: Suetonius *De Grammaticis et Rhetoribus*, fol. 156a-172b; Tacitus *Dialogus* c. 1-27, 3 *sed causas*, fol. 172b—. De ceteris hoc codice contentis nihil compertum habeo. In Orbili Pupilli uita (c. 9) uerba a *destitutus* (p. 106, 19) ad *Horatius* (p. 107, 6), deinde a *cecidit* (p. 107, 9) ad capitis finem deficiunt; itemque in Atei Philo-

[26] Copiosissime descripsit W. Peterson in praefatione ad *Dialogum* (a. 1893) p. LXXV sqq.

[27] Vide Petersonem, *op. cit.* p. LXXVII.

[28] Videndus est Egger, *Zeitschr. f. d. Alterthumswiss.* III (1836) p. 337 sqq.

[29] Egger, *op. cit.*

[30] *M. Fab. Quintiliani Declamationes . . . Dialogus de Oratoribus, Ex Bibliotheca P. Pithoei I. C.*, Lutetiae, M. D. LXXX, in excursu post p. 458.

[31] *Praefat.* p. LIX et adn. 36.

[32] Casaubon. *ed. alt.* a. 1610, p. 223: *Vnum exemplar Senator amplissimus Paulus Petauius exhibuit.* Vide Rothium *l. c.*

[33] *Praefat.* p. XXXIII.

[34] Vol. I *praefat.* p. 11.

logi uita uerba a *nonnullum* (c. 10, p. 108, 9) ad finem omissa sunt. Multis aliis lacunis et uitiis hic codex est maculatus.[35] Primus contuli.

C Codex Phillipsianus Cheltenhamensis 7283,[36] olim in bibliotheca Thomae Phillips, accessit bibliothecae quondam regiae Berolini a. 1908, Ms. lat. Oct. 197, membranaceus, foliorum 118. Suetoni libellus primum locum (fol. 6a-19a) obtinet. Sequuntur carmina uaria; Columella lib. X; *Elegia Maecenatis*; Cicero *De Legibus*; excerpta e Plinio minore, Martiali, Victorino, Donato, Tacito, Seneca rhetore, Liuio; Censorinus *De Die Natali*; alia. In folio 19a ad nostri libelli finem haec subscriptio legitur: *Hic antiquissimum finit exemplar: quod non integrum uidetur: Fabius scripsit Romae:* Primus contuli.

F Codex Florentinus Laurentianus Gaddianus plut. 89. inf. 8, 1,[37] membranaceus, foliorum 124. Insunt: fol. 1-121a, Suetonius *Caesares*; fol. 121a-124b Suetonius *De Grammaticis et Rhetoribus* ad c. 18 (p. 114, 4) *hic initio*. Codicem integrum olim fuisse id, quod tota ultima pagina scriptura sed iam diluta et obscurata repleta est, persuadet. Collationem accuratam edidit G. Funaioli a. 1909, *Studi Italiani* XVII p. 268 sqq. Primus in editione curanda abhibui. Florentinum codicem Cheltenhamensis esse apographon infra (p. 175) demonstrabo.

Δ Codex Vaticanus 4498,[38] membranaceus, foliorum numeratorum 145. Insunt: fol. 1a-20a, Frontinus *De Aquaeductibus*;[39] fol. 20b-35b, Rufus *De Prouinciis*; fol. 36a-45a, Suetonius *De Grammaticis et Rhetoribus*; fol. 45b-63a, Plinius (sic) *De Viris Illustribus*; fol. 63b-77b, Tacitus *Agricola*; fol. 78b-97a, Tacitus *Dialogus*; fol. 97b-109a, Tacitus *Germania*; fol. 109b-110b, M. Iunius Nupsus *De Mensuris*; fol. 111a-114b, Incertus *De Ponderibus*; fol. 115a-118b, Seneca *ἀποκολοκύντωσις*; fol. 119a-145, Censorinus *De Die Natali*. Primus in Suetonio contuli.

Q Codex Berolinensis 1019 lat. fol. 28, in bibliotheca quondam regia Berolini repositus, membranaceus, foliorum 234. Continet: Suetoni *Caesares*; eiusdem *De Grammaticis et Rhetoribus* (fol. 221b-234b). Ad codicis finem in folio 234b haec subscriptio legitur: *ANTONIVS SINIBALDVS FLORENTINVS ILLVSTRIS-*

[35] Vide infra p. 163 sq.

[36] Videndi sunt H. Schenkl. *Bibl. patr. lat. Brit.* no. 1712, *Sitzungsber. d. Wien. Ak.* vol. 127, 1892, p. 14; R. Ellis, *Journal of Philology* XIX (1891) p. 174 et p. 181.

[37] Bandinius, *Catalog. Cod. Lat. Bibl. Laurent.* III p. 355; Funaioli, *op.* infra *cit.* p. 268 sqq.

[38] Vide Annibaldium, *op. cit.* p. 68 adn. 4.

[39] Titulus deficit in codice.

SIMI DÕMINI DÕ IOANNIS DE ARAGONIA FAMILIAĪS EXCRIPSIT NEAPOLI M̊CCCC̊LXXVII IVÑ XXV. Infra manu posteriore: *Bibliothecae Electorali Brandenburgicae d.d. Daniel Weiman.* Osannus huius codicis collationem a Ioanne Ehlinger Wetzlariensi factam accepit; Rothius autem Rudolphi Burckhardt Basiliensis collationem edidit.

S Codex Neapolitanus IV. B. 4. bis, Neapoli in bibliotheca nationis adseruatus, chartaceus. Insunt: (1) Suetonius *De Grammaticis et Rhetoribus* fol. 1a-6a; (2) Tacitus *Dialogus* fol. 7a-19b; (3) M. Fabius Victorinus *Expositio in Ciceronis libros Rhetoricon*; (4) Adnotationes in Ciceronis *pro Sex. Roscio Amerino* orationem (nullus titulus est praefixus); (5) In orationem Ciceronis *pro Q. Ligario* animaduersiones; (6) Saco Polentonus *Argumenta in Orationes Ciceronis*; (7) Epitome quaedam Quintiliani *Institutionum Oratoriarum*; (8) Libellus de Dialectica (nullus titulus est praefixus); (9) Libellus de Definitione et Topicis (sine titulo).

In hoc codice libelli Suetoniani priora undecim capita in epitomen redacta sunt, quae initio breuissima et ita confecta ut sensus obscuretur uel etiam mutetur pedetemptim crescit, donec inde a capite XII textus integrum, quamquam uitiosissimum, se praestat. De hoc codice sic scripsit Cataldus Ianellius:[40] *Haec omnia ex Schola Victorini Feltrensis ea aetate celeberrima fuisse profecta arbitrari pronum est.* Victorini Feltrensis tamen aetate certe est posterior.[41]

EDITIO INCERTA, quam secundum Rothium nomino, sine urbe anno typographi nomine, foliorum quaternariorum minorum XV, uersiculorum uicenorum quaternorum. Titulus sic legitur: *SVETONII TRANQVILLI DE/ GRAMMATICIS ET RETHORI/BVS* (sic) *CLARISSIMIS LIBELLVS/ FOELICITER INCIPIT.* In folio 15b postremus uersiculus hic: *cibo. FINIS AMEN.* Hain 15132; Panzer IV p. 197. Venetiis ex officina Nicolai Jenson circiter anno 1471 prodisse dicitur. Exemplar Parisinum in bibliotheca nationis (Rés. R. 1388) anno 1919 inspexi. Exemplarium Britannici (in Museo Britannico C. 2. a. 20) et Germanici[42] imagines phototypice expressae in bibliotheca Vniuersitatis Illinoiensis repositae sunt.

[40] *Catalog. Bibl. Lat. Reg. Neap. Mus. Borb.*, Neapoli 1827, p. 284.

[41] Nunc demum hoc libello confecto et typographis paene mandato huius codicis schedulae phototypice depictae in manus meas peruenerunt. Quare testimonia eius non protuli, neque tamen piget tam maculatum et uitiosum codicem praetermittere. De necessitudine quae huic codici cum ceteris intercedit uide infra p. 141 adn. 224; p. 152 adn. 256.

[42] Rothius, *Praefat.* p. LIII, exemplaria Goettingense et Stuttgartinum commemorat. Schedulae phototypicae quas habeo Berolino nescio qua ex bibliotheca expeditae sunt.

Hanc editionem emendauisse et edidisse Bononiae per Benedictum Hectoris anno 1504 dicitur Philippus Beroaldus.[43] Cuius tamen editionis exemplar nullum noui, sed repetitionem modo Argentorati a. 1510 apud M. Schurerium in publicum emissam,[44] quae ad exemplar Berolinense phototypice expressa bibliothecae Vniuersitatis Illinoiensis nuperrime accessit.

EDITIO VENETA 1474 cum Modesto *De Re Militari* coniuncta. Parti Suetonianae praefatus est Ioannes Aloisius Tuscanus. Noster libellus folia XV octonaria (fol. 29a-43b) complectitur. In folio 44a subscriptio haec: *Modesti de re militari magistratibus urbis & sacerdotiis necnon & Suetoni de grammaticis liber impressus opera & impendio Bartholomei cremonensis ac Bartholomei de carlo uercellensis eius consocii. Venetiis die .xxvii. Madii. M. cccc. lxxiiii Nicolao Marcello inclyto Venetorum duce. / DEO GRATIAS.* Exemplar Parisinum (Rés. R. 1457) anno 1919 contuli. Britannici etiam exemplaris (in Museo Britannico C. 5. a. 24) imago phototypice depicta Vniuersitatis Illinoiensis liberalitate in meum usum conquisita est.

Est autem altera eiusdem editionis impressio, quam *ROMANAM* nomino, cum Aloisi praefatione sed Modesto carens, sine anno loco typographi nomine, quam bibliophili Romae uel ex Ioannis Gensbergi officina uel per Ioannem Schurener de Bopardia prodisse docent.[45] Chartas ad exemplar Bodleianum phototypice expressas habeo.

EDITIO FLORENTINA 1478 foliorum quaternariorum minorum XIIII. Initium est: *C. SVETONII. TRANQVILLI/*

[43] Panzer IX p. 411, no. 28. b: "*Suetonii Tranquilli De Grammaticis et Rhetoribus Clarissimis Libellus Foeliciter Incipit.* Haec in fronte fol. 1a. In fine: *Impressum Bononiae per Benedictum Hectoris Bibliopolam et Impressorem Elegantissimum Anno Salutis M. CCCCCIV Die XXVII Janua. Ex Castigatione Beroaldi.* Insigne typogr. 4. Biblioth. Scheurl."

[44] Panzer IX p. 358, no. 196. b: "*C. Plinii Secundi Junioris Liber Illustrium Virorum. C. Plinii Secundi Junioris Vita per Angelum Tiphernatem. C. Suetonii Tranquilli De Grammaticis et Rhetoribus Claris Libellus. Ex Castigatione Philippi Beroaldi.* In fine: *Argentorati apud .M. Schurerium. Mens. Martio. M. D. X. REGNANTE MAXMILIANO AVG.* 4."

[45] Hain 15131; Panzer II 528, 670; Proctor 3515. Haud scio an haec impressio uetustior habenda sit quam Veneta 1474, cum c. 25 (p. 122, 5) uerba *et catasceuas* itemque (1.6) *haec* in Veneta desint, in Romana autem editione integra (*catascenas* pro *catasceuas*) exhibeantur. His quoque locis Veneta editio falsas lectiones profert, Romana autem cum scriptis libris facit: c. 3 (p. 103, 4) *ed uisu* pro *sed uisu* (*et* omis. in utraque); c. 4 (p. 103, 25) *posteriorem* pro *posteriores*; c. 10 (p. 108, 21) *cum defuncto* pro *eo defuncto*; c. 11 (p. 110, 1) nimio (= C D) pro *minio*; c. 25 (p. 120, 15) *eam a* pro *eam et*, (p. 121, 7) *mutinasi* pro *Mutinensi*, (p. 122, 8) *controuersio* pro *controuersiae*. C. 24 (p. 118, 10) tamen Veneta *repetere* cum omnibus libris scriptis (*recepere* O *reperire* U) praeter Vaticanum Δ testatur, dum Romana editio *repeteret*, quod in solo Vaticano Δ inuenitur, exhibet. Itemque c. 2 (p. 101, 14) Veneta *l Aelius*, Romana *Aelius* spatio uacuo ante relicto; c. 3 (p. 101, 17) Veneta *numidicum*, Romana *mimidicum*; c. 14 p. 112, 1) Veneta *illi*, Romana *ille*.

DE GRAMMATICIS. ET RHE/TORIBVS. CLARIS. LIBER. IN/CIPIT. In folio 14b subscriptio est haec: *NIL. AMPLIVS. REPERITVR./ IMPRESSVM FLORENTIAE A/PVD SANCTVM IACOBVM DE/ RIPOLI. MCCCCLXXVIII.* Copinger 5672; Proctor 6104; Panzer I 406,17. Exemplar Parisinum (Rés. J. 1259) anno 1919 inspexi. Exemplaris Britannici (in Museo Britannico G. 7491) phototypice depicti copiam habeo.

Est autem huius editionis repetitio cum Apicio *De Re Coquinaria* coniuncta Venetiis circiter anno 1500, ut uidetur, impressa: Copinger 5671; Panzer III 496, 2801. Tota editio foliorum quaternariorum minorum XL constat. Suetoni libellus foliis 33a-40b continetur. In primi foli pagina priore hi sunt tituli: *Apitii Celii De re Coquinaria libri decem: / Suetonius Tranquillus De Claris Grammaticis. / Suetonius Tranquillus De Claris Rhetoribus/ Coquinaria capita Graeca ab Apitio posita haec sunt* .... In folio 32b post aliquot uersus lectori inscriptos hic est colophon: *Impressum Venetiis per Bernardinum* (de Vitalibus) *Venetum.* Exemplaris Bodleiani imago phototypice depicta in meum usum conquisita est.[46] Is qui hanc editionem curauit Venetam quoque a. 1474 editionem (uel Romanam) adhibuisse uidetur, siquidem complura Florentinae uitia sustulit, pauca tamen alia Venetae a. 1474 propria introduxit.[47]

In commentatione haec quoque sigla saepius usurpaui:

- **X** consensus codicum **O W**.
- **Y** consensus ceterorum omnium.
- α consensus codicum **N G I**.
- β consensus codicum **B D V L**.
- γ consensus codicum **M K H P U S C F Δ Q**.
- ω consensus omnium codicum praeter nominatim prolatos.

De ceteris siglis ad codices deperditos designandos uide stemma infra (p. 186) exhibitum.

[46] Apud nostrates haec editio in bibliotheca Collegii Sanctissimae Trinitatis Hartfordiae in re publica Connecticutensi adseruatur. Suetonius ab Apicio seiunctus nonnumquam inuenitur, ut in bibliothecis Vniuersitatum Lipsiensis et Vratislauiensis (uide Rothium, *praefat.* p. LIV adn. 33, 1), et in Mus. Nat. Hung. 862 (uide Copinger 5671). Apicius autem sine Suetonio in Museo Britannico (1037 h. 3) repositus est.

[47] Haec Florentinae uitia inter alia in editione cum Apicio coniuncta correcta sunt: c. 15 (p. 112, 12) *inerudissimum*; c. 20 (p. 115, 10) *cum*, (p. 115, 11) *decessisset*; c. 22 (p. 116, 19) *gallius*; c. 23 (p. 117, 13) *militem* pro *iudicem*, (p. 117, 15) *sumptus*; c. 30 (p. 126, 15) *personalem*, (p. 127, 3) *ispeum*, (p. 127, 5) *ob uitium* om. Haec fere Venetae editionis propria introducta sunt: c. 7 (p. 106, 4) *tradat*; c. 23 (p. 117, 8) *uero ex uariis*; c. 25 (p. 120,4) *ita edixerunt*, (p. 122, 17) *porta auri*.

CAPVT III

De Familiis X et Y
In qvo dvo Hersfeldensis Codicis fvisse Apographa X et Y, atqve ex Apographo X Codices O W, ex Apographo avtem Y ceteri Codices omnes proflvxisse demonstrantvr

I. Lectiones pecvliares vtrivsqve Familiae, nec non et singvlorvm Codicvm O W Tabvlis exhibentvr

Nunc ad nexum quem codices nostri inter se exhibent enarrandum transeo. Libros undeuiginti qui aetatem tulerunt, qui uel cursim eos perlustrauerit, in quattuor classes uel ordines disponendos facile iudicabit. Quarum classium una libros Ottobonianum 1455 (O) et Vindobonensem 711 (W), altera Neapolitanum uel Farnesianum (N) Gudianum (G) Vaticanum 1518 (I), tertia autem Bodleianum (B) Hauniensem (D) Vaticanum 1862 (V) Leidensem Perizonianum (L), quarta etiam eos codices quos uiris doctissimis libros deteriores nominare placuit, dico Venetum Marcianum (M) Mediolanensem Ambrosianum (K) Harleianum (H) Parisinum (P) Vrbinatem (U) Phillipsianum Cheltenhamensem (C) Florentinum Laurentianum (F) Vaticanum 4498 (Δ) Berolinensem (Q) alterum Neapolitanum (S), complectitur. Impeditissima tamen est quaestio quaenam sit necessitudo inter has quattuor classes, utrum una quaeque recta uia a ceteris non pendens e libro Hersfeldensi ortus ducat, an aliqua artior necessitudo inter duas uel tres classes indagari possit, unde efficiatur ut nostri codices non e quattuor codicis Hersfeldensis apographis sed e duobus uel tribus originem trahant. Mihi codices nostros iterum atque iterum diligenter perlustranti, lectionesque peculiares unius cuiusque alias aliis conferenti, illa classis quae libros O W complectitur ita tota indole a ceteris differre, tamque multis locis memoriam libri Hersfeldensis, ubi in ceteris tamquam amissa sit, reuocare uidetur, ut dubitare non possim, quin duo illi codices O W totam familiam faciant, quae recta nullis aliis libris contaminata e codice Hersfeldensi originem trahat. Ceteri autem codices omnes, quamquam mirum in modum inter se discrepant, propter id ipsum quod eis locis ubi O W ab eis abhorrent, fere consentiunt, alteri unicae familiae meo quidem iudicio assignandi sunt. Quae si uera sunt, duo fuerunt libri Hersfeldensis apographa, quorum unum duos modo filios procreauit, ad alterius memoriam reuocandam nepotes et pronepotes satis

numerosi etiam nunc extant. Vnam familiam cuius codices **O** et **W** soli sunt superstites **X**, alteram ceteros libros omnes complectentem **Y** nomino.

Primum lectiones utriusque familiae columellis iuxta positis exhibebo, deinde lectiones notabiliores singulatim excutiam hoc consilio, ut demonstrem codices **O** et **W** ceteris omnibus oppositos saepissime eam memoriae diuersitatem exhibere, quae numquam in communi eorum archetypo per emendandi uel interpolandi studium neque per librari neglegentiam et inscitiam exoriri potuerit, sed ad ipsum Hersfeldensem codicem referenda sit. Postremo trium familiae **Y** stirpium singularum lectiones proprias ostendam, et demonstrare conabor memoriae diuersitatem inter has stirpes, quam permagnam esse non infitior, eius modi esse ut non ad tria Hersfeldensis libri apographa referenda sit, sed ad tria apographa unici codicis **Y**, qui ipse Hersfeldensis codicis fuerit apographon.

Cum inter familiae **Y** singulos codices multae discrepantiae exortae sint, eas in columella a dextra posita accurate indicaui, sed ita ut ei lectioni quam in ipso **Y** fuisse iudico primum locum semper attribuerim. Non tamen eas discrepantias quae ad orthographiam pertinent neque uicem inter litteras maiusculas et minusculas indicare semper uisum est. Vsitata scribendi compendia ubique resolui. Nonnumquam fit ut unus et alter familiae **Y** codex, fortuito ut censeo, cum familia **X** conspiret. His locis familiae **Y** codicem (uel codices) cum **X** facientem in sinistra columella uncis inclusum indicaui.

His igitur in locis familia **X** genuinas lectiones proferre mihi uidetur:[1]

	X (**O W**)	**Y** (*ceteri omnes*)
c. 2, p. 100, 18	ualetudinis (*in* ualitudinis *mut. m.2* **W**) (= **V**)	ualitudinis
p. 101, 12	generque aelii **W** generque elii **O** (= **L***m.3*)	gener .Q. Aelii (*uel* Elii)
c. 4, p. 103, 20	titulo sed (= **D** titulo(s) sed **G**)	titulos sed ω titulis sed Δ
p. 104, 2	adlocutiones[2]	allocutiones ω alloquutiones **H Q** alloqutiones **I K** aloquutiones **B** elocutiones **U**
c. 10, p. 108, 14	adsumpsisse	assumpsisse
c. 11, p. 109, 5	P. Valerius (= Publius uallerius **B**)	Valerius (Vulerius **H**)

[1] Paginarum et uersuum numeri ad editionem Reifferscheidianam respiciunt. Lectiones peculiares quas **X** cum **N** et secunda manu in **G** communes habet infra p. 87 sq. reperies.

[2] Alia fortasse est quaestio num tales formae praepositione sincere scripta in editiones semper adhibendae sint, quas tamen inter bonas lectiones exhibeo, cum persuasum habeam eas ex ipso Hersfeldensi in codices **O** et **W** manauisse. Vide infra p. 66 sq.

	X (O W)	Y (*ceteri omnes*)
c. 17, p. 113, 16	nequem	neque
c. 18, p. 114, 5	mimographus	mimographos ω mimographis **C** Δ minographis **Q**
c. 21, p. 115, 18	adserente	asserente
c. 22, p. 116, 12	petit	petiit ω petisse **I**
c. 23, p. 116, 22	Remmius (Q. *om.*) **O** MEmmius, *in marg. eadem manu* ał Q Remmius **W**	Q. (*uel* Quintus) Rhemmius ω Q. (*uel* Quintus) Rheminius β **Q** Rhemmius (Q. *omis.*) **K** QVintus ramnius **U** q Vintus Rhemnius Δ Quintus (Remmius *omis. spat. uac. relict.*) **H**
p. 117, 1	erilem	herilem (heredem Δ)
14	pepercisse **O** (= **L U**) percisse **W**	parcisse ω parsisse **D H** Δ parcisse **V** partisse **K**
c. 24, p. 118, 6	petit	petiit (petiti **C**)
c. 25, p. 119, 10	sero (= *serv in marg.* **B**)	fere (ferrē **B**)
p. 120, 2	uti	ut si
c. 25, p. 122, 19	educeret[3]	educerent
c. 26, p. 123, 5	Titinium **O** (= **K U**) ticinium **W**	Titinnium ω titinnum **B** ticinnium **D** titomnium Δ titumium **Q**
c. 27, p. 124, 2	ostiarius (= **Q**)	hostiarius
c. 28, p. 124, 14	nucerino (= **B**)	nuncino ω nuntino **I** Δ Mancino **L M K** —minemo **Q**
c. 29, p. 125, 2	temptare **W** (= **K U** temptare *in* tentare mut. **G**) temperare **O**	tentare
4	obicit (= **B K**)	obiicit
c. 30, p. 127, 1	excanduisset ut (= **B D**)	excanduisse et ut (et *del. m.3 ut uid. in* **L**) ω excanduisse ut α

His in locis familiam **X** falsas lectiones exhibere censeo, quarum tamen, ut infra demonstrare conabor,[4] nonnullae ueriorem imaginem Hersfeldensis codicis praebent quam emendatiores lectiones in **Y**:

	X (O W)	Y (*ceteri omnes*)
Inscriptio	*Ante grammaticorum et rhetorum indices:* Incipit C. Suetoni tranquilli de grammaticis & rethoribus; *post indices:* INCI-	C. SVETONII (Suttonii **I** SVETONI **V**) TRANQVILLI DE GRAMMATICIS (gramaticis **I**) ET RHETORIBVS (rethoribus **I**) INCIPIT **N G I V**

[3] Vide infra p. 90 sq.
[4] Vide infra p. 59 sq.

	X (O W)	Y (*ceteri omnes*)
	PIT. C. SVETONI (*mutauit in* SVETONII *m.2*) TRANQVILLI. DE/ GRAMATICIS. ET/ RHETORIBVS. FELICITER. W C. SVETONII. TRANQVILLI. DE. GRAMMATICIS. ET. /RHETORIBVS. INCIPIT. FELICITER *ante indices* O	*Litterae minusculae in* **G I** *usurpantur. In* **G I** *inscriptio indicibus praemissa est; in* **V** *inscriptio indices sequitur;* **N** *indicibus caret.*[5]
Index[6] p. 98, 5	grifo	Gnipho ω Grapho α gnifo **B**
6	Pomilius **O** pomilius **W**	Pompilius
17	afrodisius	aphrodisius
c. 2, p. 100, 14	Haristarci **O** haristarci **W**	Aristarci ω Aristarchi **D V L H U Δ** Aristarchie **B**
c. 3, p. 102, 8	aliqua	aliquid ω aliud **H U C Δ**
13	capulo **O** capulo, *in marg. eadem man.* catulo **W**	Catulo ω Catullo **B V H K Q** Catullo *in* Catulo *corr. et m.1 et m.3* **L**
c. 5, p. 104, 18	libertis *in* libertus *corr. m.2* **W** libertis *om. in text. add. in marg. eadem man.* **O**	libertus
c. 6, p. 105, 1	phylosophiam **O** phylosophyam **W**	philosophiam ω p̄hiam **I V L M K H C**
5	aliquo duo lumina **W** aliquot duo uolumina *sed* duo *inducto* **O**	aliquot uolumina
c. 8, p. 106, 7	epycureae **W** epycuree **O**	epicureae
c. 9, p. 107, 2	qui est **O** qui est *in* cui est *corr. m. 2* **W**	cui est

[5] Hi soli codices eam inscriptionem quam in codice **Y** et ipso Hersfeldensi libro fuisse censeo conseruant. In ceterorum librorum inscriptiones interpolationes inrepserunt. Vide infra p. 116; p. 141 sq.

[6] Indices grammaticorum et rhetorum in **O W G I B V L M C Δ** inueniuntur, in **N D K H P U Q F** deficiunt.

	X (O W)	Y (*ceteri omnes*)
4	parentium	parentum
c. 10, p. 107, 19	pallenti	palliati *uel* palleati[7]
p. 108, 5	praetextatis (pre- O) nobis	praetextatus nobilis
9	nullum	non nullum
18	significant	significat ω signant **H** significatur Δ sigt **M B V L**
18	ylen *spatio uacuo litterae miniatae relicto; in* ylem *immut. m.2* **W** Ylen **O**	hylen **D V M C***m.1* hyle; **I** hylê **B** hilen Δ **Q** hylem **N G H C***m.2* hylam **K** hilem **L** *omis.* **U**
c. 11, p. 109, 12	latinas irem **O** latinas item **W**	latina siren α latina syren (syren *in* siren *corr. m.3* **L**) ω
15	lydia & icida	Lydiae Ticida
19	saeculo (seculo **O**)	Saecula (*uel* Secula) ω Secunda **B**
p. 110, 6	racemidio	racemi duo
c. 13, p. 110, 21	L. Staberius **O** staberius *spatio uacuo quadrato praemisso* **W**	Staberius β **M** Straberius α Lucius (Lutius **C**) Taberius **C** Δ **F** V Taberius **H** VABERIVS **P** L. TABERIVS **Q** *om.* **U**
c. 14, p. 111, 18	nostre Nicie nri **O** nrae Niciae nri **W**	nosti Niciae (*uel* Nitiae) nostri ω nosti inter nitię nri **H** nosti inter Nicie nri **U** nosti inter nitii nostri **C** Δ
p. 112, 3	libro sed iam	libros etiam ω li°et **B**
c. 15, p. 112, 13	surreptis (= **L** *m.3*)	subreptus ω subrectus α surreptus **D** surreptus *in* surreptis *mutauit m. 3* **L**
c. 16, p. 112, 16	epyrota (= **M K**)	Epirota
p. 113, 4	nisi cuius **O** nisi sicus **W**	nisi si cuius (nisi *om.* **C** Δ)
9	epyrota (= **M K**)	Epirota
c. 17, p. 113, 18	*omis.*	in
c. 18, p. 114, 14	atque Sexti	ad .Q. Sexti **B V L** ad .Q. septimi **D** ad .Q. atque Sexti α ad sexti (sextii **K**) **M K** in Sexti **H U** sexti (ad Q. *om.*) **C** Δ **Q**
14	phylosophi **O** phylosophis **W**	philosophi (*uel* phi)

[7] Vide infra p. 96.

	X (O W)	Y (*ceteri omnes*)
c. 21, p. 115, 17	uideretur	uideret (uideretur *in* uideret *corr.* K)
p. 116, 4	qui nun cio corum O qui nuntio eorum W	qui nunc iocorum (locorum B D V)
c. 22, p. 116, 13	putatis O putans W	putat is
13	*omis.*	cum aduersario de iure
19	epygrammate O epygramate W	epigrammate *uel* epigramate
c. 24, p. 119, 4	an	aut
c. 25, p. 120, 2	eiēre p̄ fide que, *in marg. eadem man.* eicēre W eicere pre fide que O	ei e re p. fideque ω ei rei p. fideque H Q e re p. fideque U ei R. p. fideque C Δ
3	hisdem	iisdem ω eisdem *a* D L Δ hiisdem Q
p. 121, 16	dicta praeclara W (= U Δ) dicta preclara O	dicta praeclare
p. 122, 18	in emptores W emptores (in *omis.*) O	tum emptores
c. 26, p. 123, 14	ordiarium O hordiarium W	hordearium N H hordea[4m] M hordear[m] K C hordeam G I hordear Q ordeanum U ordeare Δ horditarium B hordinarium V ordinarium D L
c. 29, p. 125, 5	magistram	magistrum
c. 30, p. 125, 17	eius partis mores ita O eius patris mores ita W	eas partes (partis B Δ) atque ita (actaque ita K itaque ita C itaque H U Δ)
p. 126, 8	in⁘ litem quędam *in marg. eadem man.* ⁘militem W militem quendam O	in lite quadam

Eis in locis qui sequuntur uix extrices utra familia Suetoni uerba proferat:

	X (O W)	Y (*ceteri omnes*)
c. 1, p. 100, 11	augurali (= U Δ)	augurandi

	X (O W)	Y (*ceteri omnes*)
c. 11, p. 109, 21	modice **O** modice *in* modico *corr. m. 2* **W**	modico ω medico **M K H F** medito **C** medio Δ *omis.* **U**
c. 25, p. 119, 12	censorum	censorium
c. 26, p. 123, 8	et	quod

His denique in locis neutra familia genuinas lectiones exhibere uidetur, sed ex omnium librorum testimoniis Suetoni uerba elicienda sunt:

	X (O W)	Y (*ceteri omnes*)
Index, p. 99, 3	plutus	Pilutus ω pillutus **I** pilatus **L**
c. 3, p. 102, 15	mutoscedo[8] doceret	multos (multos *in* miltos *corr. ut uid.* **K**) edoceret ω multos doceret **B** multos edocent **D** multos edocuisse **Q**
c. 4, p. 103, 25	tam discretis (=**H**)	iam tam discretis **B M C** Δ iam tam descriptis **K** iam tum disertis **U** in tam discretis *a* iam discretis **D V L Q**
c. 15, p. 112, 4	L. aeneus =(**C** l Vcius aeneus Δ) **O** L Aeneus (L *in spatio uacuo quadrato*) **W**	Laeneus *a* **D V M K Q** Ąeneus **H** Leneus **B L U F**
c. 22, p. 116, 15	tiberius (Tyberius **O**) uerbum	Tiberium (*uel* Tyberium)
c. 24, p. 119, 6	perraro unius pauca	perraro nimis. Pauca **N G D V L** raro nimis Pauca **I** perraro nimis (minus **C** Δ) pauca ω nimis pauca *omis.* **U**
c. 25, p. 120, 4	tredixërunt *in marg. eadem man.* ëdixerunt **W** edixerunt **O**	item dixerunt ω ita dixerunt **L** ita edixerunt *e Gellio suppl.* **Q**
c. 29, p. 125, 4	tibet ioci *post lacunam unius fere uersus* **W** ioci *spatio uacuo quinque fere litterarum praemisso* **O**	Tibi et (ut **H**) ioci (*paruo spatio uacuo praemisso in* **V M H C**) ω Tibi et sotii **N** Tibi et soci **I** et loci **B** tibi & coti Δ **C***m.1* Tibi *spatio uacuo septem fere litt. sequente* **K** Tu uero adhibes *e Cicerone suppl.* **U**
c. 30, p. 125, 17	exorare	excitare

[8] Vide infra p. 79 sq.

Quamquam illa mira necessitudo quam supra ostendi inter codices **O** et **W** intercedit, **O** nonnullas, **W** permultas lectiones proprias habet. Lectiones codicis **O** peculiares, rebus orthographis fere neglectis, infra ostendam. Grauiores modo discrepantias inter singulos familiae **Y** libros adnotaui, sed eam lectionem quam in ipso **Y** fuisse censeo primo post codicis **W** testimonium loco semper adfero. His in locis **O** ueras scripturas, quas omnes coniecturae et casui attribuo, exhibere mihi uidetur:

	O	W Y
c. 2, p. 101, 7	uettius	Vectius ω rectius **B** Vertius **Q**
c. 14, p. 111, 16	illum mecum (?)[9] (=**K**)	mecum illum
c. 15, p. 112, 10	lurconem (=**H U L**)	lurchonem **W** lurchonem *uel* curchonem ω
c. 21, p. 116, 1	quo delegante	quod elegantem
c. 25, p. 120, 4	Renuntiatum est *spatio uacuo trium fere litt. praemisso*	ne (*uel* nae) renuntiatum est
c. 29, p. 125, 10	immunia	immuni
c. 30, p. 127, 4	ac (?)[10]	et

Has fere lectiones falsas huius codicis proprias inuenies:

	O	W Y
Index p. 98, 8	philalogus	philologus
9	P. Valerius Cato. et. L. Staberius	P. Valerius Cato
18	phyginus	phriginus **W** phryginus (*uel* phriginus) ω friginus **L**
21	yeminius	Remmius **W** Rhemmius (rheminius **L**) ω Reminus **I**
c. 1, p. 100, 2	&	ac
6	Emnium	Ennium
10	Emnio	Ennio
p. 100, 16	emnii	Ennii ω Enni **V**
c. 2, p. 101, 13	in doctrina (=**U**)	et in doctrina
c. 3, p. 102, 6	magis & magis	magis ac magis
14	quadringentis (=**H**)	quadringenis (quadragenis Δ)
c. 6, p. 105, 7	se scripsisse	scripsisse se
c. 7, p. 106, 2	etatis annum	annum aetatis
6	*omis.* (=**D**)	ut hoc **W** ut hoc *uel* ut hic ω[11]

[9] Vide infra p. 55.

[10] Vide infra p. 60.

[11] Vide infra p. 101 sq.

	O	W Y
c. 8, p. 106, 10	gnifonis	gimphoni **W** Gniphoni ω gnifoni **B L Q F**
13	emnii elenchorium	Enni elenchorum (enni *in* ennii *mut. m.2. in* **W**) **W V** Ennii elenchorum ω enniclencorum **B** enim elenchorum **H C Δ** .i. elinchorum **U**
c. 9, p. 106, 19	dein	deinde in
p. 107, 6	et	etiam
20	orbilium filium	filium Orbilium ω exemplum Orbilium **M K** R_x^m Orbilium **H C Δ** *omis.* **U**
c. 11, p. 100, 6	uno (= **I**)	una
7	nuntriant	nutriant
15	Zenodotien	Zenodoti en
c. 14, p. 111, 14	*omis. plus dimidio uersu uacuo relicto*	tot **W** τοῦ ω *omis* **H U**
c. 15, p. 112, 8	probi oris	oris probi (probi *in* probri *mut. m.2 in* **W**) **W B V L** oris probum **D** oris improbi ω
15	& doctrinam (= **K**)	atque doctrinam (et *in* atque *corr. eadem man.* **L**)
c. 16, p. 113, 3	*omis.*	et
c. 17, p. 113, 13	quod & uictor	quod uictor (quidem uictor **U C**)
c. 18, p. 114, 4	cognominauit (= **F**)	transnominauit
c. 20, p. 115, 3	phyginus	phryginus **W M Q** phriginus **H U Δ** hyginus **B** Hyginius **N** **G***m.2* higinius **G***m.1* **I** Hyginus$^{\text{ꝟ phryginus}}$ **V** higinus$^{\text{fri}}$ (fri *induxit m.3*) **L** igiginus **K** priginus **C**
c. 23, p. 117, 16	quadringenta (= **U**)	quadringena ω quadragena **Δ**
p. 118, 6	bertius	bertecius **W** berytius **G B V M H Q** Berities **N** beritius **I L K C Δ** berritius **D** betytius **U**
c. 24, p. 118, 10	*omis.* (= **Δ**)	cum (eum **D**)
10	recepere	repetere ω repeteret *e coniectura* **Δ** reperire **U**
c. 25, p. 119, 12	*omis. spatio uacuo quattuor fere litt. relicto*	item
p. 121, 6	repetiisse	repetisse (repetiuisse **G** petiisse **Δ**)
p. 122, 21	pullam	bullam (bultam **B**)

	O	W Y
c. 28, p. 124, 11	canutius. caius:	C. Cannutius (C. Canutius **B** C. Carnutius **G I**)
14	.A. cepidio	a .C. epidio ω a .C. epidico **B** ab epidio **H C Δ** ab Epulio **U**
c. 29, p. 125, 8	data est	est data
c. 30, p. 125, 12	nouaricensis	nouariensis (nouanensis **U**)

Vindobonensis (W) codex multas peculiares lectiones habet, quas fere omnes exhibere mihi uisum est, ut quisque pro se de hoc codice iudicare possit. Ego quidem interpolationes et emendationes uel nullas uel perpaucas detexi. Nonnullae bonae lectiones in hoc codice inueniuntur, quarum pars maxima ad orthographiam pertinet:

	W	O Y
c. 1, p. 100, 11	enni *in* ennii *mut. m.2* (=V)	Ennii
c. 2, p. 101, 7	uectiusque	uettius .Q. **O** Vectius .Q. ω
c. 3, p. 101, 17	metellum	M. Metellum
c. 4, p. 103, 12	epistula	epła **O B V L K H C Δ** epistola (ępistola **N**) ω
p. 104, 6	adulescentulo (= C Δ)	adolescentulo
c. 7, p. 105, 20	iuli	Iulii
21	cotidie	quotidie *uel* quottidie
c. 8, p. 106, 12	conposuit[12]	composuit ω ꝯposuit **I** cōpsuit **L**
13	enni *in* ennii *mut. m.2* (=V)	Ennii ω enim **H C Δ** ·i· **U**
c. 9, p. 106, 17	L orbilius (orbilius *in* Sorbilius *mut. m.2*)	Orbylius **O** Orbilius ω
p. 107, 19	adpositis	appositis
c. 10, p. 108, 22	adgressos (=H)	aggressos (aggraesos **N**) ω agressos **K C**
c. 12, p. 110, 16	corneli (=V)	Cor. **O** Cornelii ω Corn. **L**
c. 14, p. 111, 18	inbecillitatem[12]	imbecillitatem (ĩbecillitatem **I L**)
p. 112, 3	conprobat	comprobat ω cōprobat **I H** ꝯprobat **V**
c. 16, p. 113, 6	uergilium (=G)	Virgilium
c. 17, p. 113, 10	M. (=Marcus **B**)	*omis.*
c. 21, p. 116, 5	conponere	componere (cōponere **V**)
c. 22, p. 116, 15	adfirmante	affirmante

[12] Vide supra p. 39 adn. 2.

	W	O Y
c. 23, p. 116, 22	uicetinus	Vicentinus ω uiccentinus **G** uincentinus **B H**
c. 26, p. 123, 5	epistula	epła **O B V L M K H C Δ** epistola (ępistola **N**) ω
c. 28, p. 124, 11	obicientibus(=obitientibus **K**)	obiicientibus
17	conparuisse	comparuisse
c. 29, p. 124, 18	s Ex. (=**B**)	Sextus
c. 30, p. 125, 12	albucius	Albutius
p. 127, 5	redit	rediit

Has fere lectiones falsas, quae tamen, ut mihi uidetur, saepius ad ueram imaginem Hersfeldensis libri reuocandam aliquid conferunt, in codice **W** inueni:

	W	O Y
Index p. 98, 4	Aurel.	Aurelius (Aureł. **V**)
12	Curcius (=**M**)	Curtius
p. 99, 2	Plocius (=**M**)	Plotius ω Politius **I**
p. 99, 12	stacius (=**B**)	Statius
c. 1, p. 100, 3	Inicium	Initium
8	praelegabant	praelegebant ω prealegabant **V** praeallegabant (*corr. et* praelegebant *supra uersum scripsit eadem man.* **L**) **D L** perlegebant **B Δ Q**
9	licteris(*sic fere semper*)	lr̄is **O G H** litteris ω literis **N I Q**
9	sillabisque	syllabisque (silˡabis qȝ **I**)
10	edito	editos
c. 2, p. 100, 15	attolo	Attalo
16	palacii	palatii (pallatii **I**) ω *omis.* **C Δ Q**
17	fregisse (t *add. m. 2 ut uid.*)	fregisset
19	admirandum	ad imitandum ω ad imitationem **I G***m.1* ad inuitandum (?) **B** *omis.* **D**
p. 101, 3	& iam	etiam ω et **D V L** ut **B**
5	posteaque	postea quintus **O** postea .Q. ω
6	enim (=**I**)	Ennii ω Enni **V**
9	laenius	Leneus ω Lęneus **N G** lenęus **M** lenatus **Δ** Ianeus **Q**
12	E. Q. R.	eques romanus **O** eq. ro. (*uel* Ro.) *uel* eques .ro. ω

	W	O Y
12	Laelius (= **Q F**)	L. Aelius (*uel* Elius) ω Lucilius Δ
c. 3, p. 102, 2	secessisse	secessisset
4	enetuit	enecuit
5	uiuere	uiueret
11	mellissus (=Δ)	Melissus ω mellisus **B** mellisus *in* melissus *corr.* **I** mellissus *in* melissus *corr. eadem man.* **L** mellisius **Q**
12	numinum	nummum ω nummis **H U C Q**
13	quinto (= **C U**)	.q. **O** .Q. ω Quinto **H**
14	equite a r.	equite romano **O G U** eq. ro. (*uel* Ro.) *uel* equite .ro. ω
c. 4, p. 103, 6	licterati (*sic fere semper*) (= **I**)	litterati (literati **N L**)
10	inter praeces quia	interpretes qui a
p. 104, 7	alterius (= **B C** *m. 1*)	alternis
c. 5, p. 104, 15	praeuenit	peruenit
16	staturam	saturam **N I B V H U C Q** satyram ω
19	*omis.*	ac **O** ac *uel* at ω
c. 6, p. 105, 5	eritionis	eruditionis
8	unius	huius
10	parastichi de libelli	parastichide libelli ω perastichi de libellis **C** Δ parascichide libellis **Q**
c. 7, p. 105, 12	giinpho	gnifo **O** gnipho ω gnifo **B L U F** Grapho *a*
13	institutus quae (quae *corr. in* que *m.2*)	institutusque
14	dyonisi *ex* dyonsii *corr. eadem man. ut. uid.*	Dionysi **O N G V** Dionysii ω Dionisii **B I K U** dionis **L**
14	scycho brachyonis (scycho *in* scytho *corr. m.2*)	scythobrachionis **O** ω scytobrachionis **U** Scytobarchionis **N** Scytobachionis **B** scitabachionis **D** Scythabachionis **V L** Scithobrochionis **K** Scithobrachionis **Q**
17	latinae (= **I**)	latine
p. 106, 1	praecura	praetura
4	relinquisse	reliquisse
6	momen	nomen

	W	O Y
c. 8, p. 106, 7	m Pompeius andronicus *in marg. eadem man.* M. pompilius andronicus	Marcus Pomilius Andronicus **O** M. Pompilius Andronicus ω
10	gimphoni	gnifonis **O** Gniphoni ω gnifoni **L Q F**
c. 9, p. 106, 18	*omis.*	atque eadem
20	mox mox ex qüo *in marg. eadem man.* eqüo (quo *in text. corr. in* equo *m.2*)	mox equo
20	functus que (que *in* qȝ *corr. m.2*)	functusque (functus quae **C**)
21	fessus	professus
23	docuit	docuitque
p. 107, 1	nam	namque *uel* nanque
6	hortatius *corr. in* horatius *m.2*	horatius **O** Horatius *uel* Oratius ω
10	insectationem	insectatione (insectatione ne **B**)
19	habitus sedentis *corr. in* habitu sedentis *m.2*	habitu sedentis
c. 10, p. 108, 3	polio	pollio
4	meam mi rem	in eam rem
7	se in &	se met **O Q** semet ω
9	haberet & *corr. in* habere & *m.2*	habere et
10	ginphone in	gnifonem **O I B F** gniphonem ω
11	praecipisse	praecepisse (*uel* precepisse)
14	erat osthenes *in* erat esthines *mut. m.2*	Eratosthenes ω Erato sthenes **B** erachostenes **I** erathostenes **H**
20	ottingentos (=**B**)	octingentos **O D V L Q** dccc[tos] **N G I M K H** DCC$\overline{C}$ **C** .dccc. Δ *omis.* **U**
21	polionem (=**I**)	pollionem
23	romanorum (=**I Q**)	romanarum ω .ro. **M** .RO. **K** .R. **H**
23	eligere (=Δ)	eligeret

	W	O Y
c. 11, p. 109, 5	ụburseni (*corr. m.1 ut uid.*)	Burseni ω Bursini α
c. 11, p. 109, 20	auxit	uixit
p. 110, 5	fabris *in* fabis *mut. m.2*	farris ω furis **B** fucris (?) **K**
11	magis trium	magistrum
15	eratetis	Cratetis ω Crateris **V M K Q** Crateri **L** cratis **C**
c. 13, p. 111, 2	tantarum	tanta eum
c. 14, p. 111, 10	cur arenisi	curare nisi
14	tot	*om.* **O H U** τοῦ ω
15	*omis.* (= **Q**)	si
16	uel	uellem
c. 15, p. 112, 5	filiusque	filiisque
5	*omis.*	scola **O** schola (*uel* scola) ω
10	popinomenque	popinonemque ω popinionemque **N G** popimonemque **I B** popi. . . . qꝫ **K** pompinonem quae **C** pompinonem **Δ**
11	scribitis que *corr. in* scriptis qꝫ *m.2*	scriptisque
c. 16, p. 112, 17	atque insunt	ad quem sunt
19	^{u}dixitque (u *add. eadem man.*)	uixitque
p. 113, 4	ne mini	nemini
7	quod etiam quod etiam	quod etiam
7	marci	Marsi
c. 17, p. 113, 10	Varrius	Verius **O I B** Verrius ω
10	dicendi (= **G**)	docendi
17	post ac (= **Q**)	posthac
p. 114, 1	seordinatos (*prior* s *in ras.*)	a se ordinatos
c. 18, p. 114, 6	adom claruit	adeo inclaruit
c. 18, p. 114, 8	grassitio	Crassitio
9	desinit e	desinite
10	crassio	crassitio
12	se	sed
c. 20, p. 115, 9	socius	secius ω setius **B H** socios **D** sectius **K** secus **C Δ**

	W	O Y
c. 21, p. 115, 16	mecaenati	mecenati ω **Maecenati N B L Δ Moecenati G I** micenati **H**
16	*omis.*	muneri
c. 22, p. 116, 11	cassiû	Cassius
21	pocius (=M)	potius (putius Δ)
c. 23, p. 117, 1	fere	ferunt
9	in etheris	metris
16	cuperet	caperet ω cap^er **B** carperet **M K H C**
p. 118, 2	necitatum fuere	notatum ferunt
6	bertecius	bertius **O** beritius *uel* berytius ω Berities **N**
9	sit ut (=**B** sit^c ut **Q**)	sic ut *uel* sicut
11	op*ro*pbrio	obprobrio ω obproprio **I** opprobrio **L C** obbrobrio **K** obrobrio **U**
12	gloria &	gloriae et
c. 24, p. 119, 1	grammatica es	grammatice **O N** grammatices ω
3	*omis. dimidio fere uersu uacuo relicto*	unum et (uel **O D V L**) alterum uel cum
c. 25, p. 119, 12	*omis.*	edictum
p. 120, 2	+nee fent *eadem nota in marg.*	ne essent
4	dicinius	Licinius
9	ita re (=**I**)	intrare **O N G***m.2* **D** itare ω
c. 25, p. 120, 12	faciunt dum	faciundum ω faciendum **D H U**
c. 2, p. 121, 1	Latinae	Latine
2	consolibus	consulibus ω cons. **L M** cos. **K C** C͞O͞N **U** coss. Δ con^bus **B**
4	ciui libellum	ciuile bellum ω ciuille bellum **I** ci ^lo bellum (?) **B**
8	missis selero	omisisse Nero
8	primo primo	primo
8	imperi (*in* imperii *corr. m.2*)	imperii
16	exercuere	exercuerunt
18	cum latius	tum latius
p. 122, 3	dû italia	dum utilia ω tum utilia **B**
4	superuacuanea	superuacanea
11	si certe	sic certe ω sicut certe **B** & sic certe **K H U C Δ**

	W	O Y
11	editae quae	editaeque (aeditae que **C**)
15	pepigeȓ	pepigerunt ω pepigere **D**
15	bo[i]lum	bolum
16	expectaueȓ	expectauerunt
18	boilum	bolum
p. 123, 4	non	quam
c. 26, p. 123, 5	D. M. ticinium	ad M. Titinnium (Titinium **O K U**)
7	quemdam	quendam
8	concussus	concursus
9	exercerent	exerceretur ω exerceret **B**
9	Continebat (= **U**)	Continebar ω Continebatur **D**
11	possit	posse
12	iam	nam
c. 28, p. 124, 17	in numero quoque	in numeroque
c. 29, p. 125, 3	uigens congiar*um*	ingens congiarium
8	audite (= **D H U**)	audite audite
8	cognoscere	cognoscite
10	equidem	et quidem
c. 30, p. 125, 13	pronunciabat (= **K H**)	pronuntiabat
p. 126, 2	prouentus	prouectus
7	proorandi	perorandi ω operandi **H U C Δ**
10	incessabat	incessebat ω incesserat **B**
15	ditiores	lictores

Aliis in locis codex nullus genuinas lectiones praebet, **W** autem ab **O** ceterisque discedens nonnumquam ueram emendandi uiam ostendit:

	W	O Y
c. 3, p. 102, 12	panosagecema	panosagacema[13] LL L
c. 6, p. 105, 1	oppillius (= **K**)	Opilius (opileus **B** opimius *corr. eadem man. ut uid.* **L**)[14]
c. 9, p. 107, 3	perialego sedidit *in* perialegos edidit *corr. m.2*	perialogos edidit
c. 10, p. 108, 11	haere *in text.; in marg. eadem man.* +˙/· hermâ	hermam ω hermam (haere) **N V** hermâ *in text.; in marg. m. 2* aëre **G** herniâ **H** *omis.* **U** mea **Δ**
p. 109, 4	salusti (= **V**)	Salustii (Sallustii *e coniect.* **L**)

[13] Varia testimonia singulorum librorum infra p. 95 sq. exhibentur.

[14] *Opillus* sine dubio restituendum est. Vide Schulze, p. 462 adn. 3; p. 18 adn. 2. Buecheler, *Jenaer Litteraturz.* 1874, p. 610 b; *Rh. Mus.* XXX (1875) p. 446.

	W	O Y
c. 14, p. 111, 9	epistulam	epła **O I B V L M K H** epistola ω
c. 14, p. 112, 3	santya (satyra *supra*)	satyra **O G D L M K Δ** Satura **N I V H U C** satira **B Q**
c. 16, p. 112, 16	sattrequi/tis	Satti (Sacti **N** siti **B** satis **U**) equitis ω sarti equitis **D** Satti (r *supra*) equitis **L** Attici (actici **C**) Sati eq. **C Δ Q**
c. 18, p. 114, 12	cum & edoceret	cum doceret **O** cum et doceret *α β* cum edoceret *γ*
c. 25, p. 122, 19	brundis in	brundusii **O B D L Δ P** brundusi **N G V C Q** brondusiū **I** brondusii *in* brondusi *corr.* **M** brondusii **K** brundisii (u *supra*) **H** brundisiam **U**
c. 29, p. 125, 4	tibet	*omis.* **O** Tibi et ω[15]

Lectionibus peculiaribus utriusque codicis **O** et **W** perlustratis cuiuis apparet neutrum ex altero transcribi potuisse; quod quidem unus atque idem locus optime demonstrat. Nam c. 24 (p. 119, 3) **W** uerba ***unum et*** (***uel*** **O D V L**) ***alterum uel cum*** omittit, unde apparet **O** ex **W** non esse transcriptum; neque **W** ex **O** transcribi potuisse, cum librarius **W** his uerbis omissis lacunam dimidi fere uersus reliquerit, ita ut satis constet haec uerba in **W** non ob neglegentiam omissa sed propterea quod exemplar quo usus est librarius **W** hoc loco aliquod damnum perpessum sit. In **O** autem haec uerba ita composite ac clare scripta sunt, ut uel imperitissimo librario nullam difficultatem praebere possent. Multa etiam alia uerba nunc in uno nunc in altero codice omissa demonstrant neutrum alterius esse apographon, sed utrumque communi archetypo referendum esse.

II. Codices O W qvodam Opprobrio liberantvr. Notabiliores Codicis O Lectiones breviter tractantvr.

Antequam lectiones notabiliores utriusque familiae **X** et **Y** singulatim pertracto, quoddam praeiudicium uel opprobrium libris **O** et **W** etiam hodie haerens deicere, si fieri potest, uelim. In Suetonio recensendo codice Ottoboniano primus usus est Reifferscheidius. Qui omnes laudes Vaticano 1862 (**V**) attribuens ueram indolem codicis **O** omnino agnoscere noluit, atque falsissimum iudicium de eo prompsit, quod ipsius uerbis profero (p. 415 ad fin.): "de quibus (libris **O N G I**) **O** proxime a Vaticano abesse uisus est, sed ita ut pluribus locis ab diuersa memoria pendeat; idem solus scripturas praebet quae postea a Beroaldo Statio aliis inuentae sunt, ut malim eum cum Lerschio s. XVI adscribere quam cum Rothio s. XV uin-

[15] Vide supra p. 44.

dicare. sic p. 103, 20 *titulo* habet, p. 111, 12 *Niciae* addit, p. 111, 16 *illum mecum* Cicerone item adhibito transponit, p. 116, 1 *quo delegante* emendat, p. 119, 10 *sero*, p. 123, 1 *appellatione Graeca*, p. 124, 14 *Nucerino*, p. 125, 10 *immunia*." Quod iudicium peruersum partim falsa collatione nititur, cum p. 111, 12 *Niciae* in **O** sicut in ceteris omnibus praeter **D** deficiat;[16] p. 123, 1 non *appellatione Graeca* sed *appellationes greci* cum **N G I K H U C** consentiens testetur **O**.[17] P. 111, 16 **O** *illum mecum* proferens, solus inter nostros libros, non est infitiandum, eundem uerborum ordinem ac Ciceronis codices exhibet, sed perridiculum est existimare librarium huius codicis Cicerone adhibito tam paruam corruptelam correxisse, graue autem uitium quod est in eadem epistula, p. 112, 1, uerbis *uelim, cum mihi ille iucundus esse* in omnibus nostris codicibus omissis, omnino neglecturum fuisse. Quaecumque erant ipsius Ciceronis uerba haud dubium mihi uidetur quin *mecum illum* in Hersfeldensi libro exstaret, librarius **O** autem uerborum ordinem uel consulto uel inconsulto mutauerit, praesertim cum idem erroris genus non semel tantum in hoc codice animaduertatur.[18] Optimas lectiones p. 116, 1 *quo delegante* et p. 125, 10 *immunia* quas Ottobonianus solus exhibet meo quidem iudicio ingenio eius uiri docti, qui hunc codicem tanta diligentia exarauit, debentur. Quod eo certius mihi uidetur, quo aliis locis idem librarius uel inter scribendum uel in relegendo correctiones ingeniosissime fecit. C. 6 (p. 105, 5) codex **W** non solum libri **X** sed etiam Hersfeldensis codicis, ut mihi uidetur, ueram imaginem conseruans,[19] *aliquo duo lumina* profert. Ottoboniani autem librarius primo *aliquot duo* scripsit, deinde errore statim cognito *duo* perleuit, atque *uolumina* scripsit. Quare tamen *aliquot* non *aliquo* primitus (nam illa *t* certe non est postea addita) scripserit, nescio, nisi forte ueram scripturam iam antea excogitauerat, tum uerbo *aliquot* recte scripto, per breuem lapsum uocem *duo*, quam in exemplari ante oculos habuit, transcripsit. Altero loco c. 25 (p. 120, 7) idem librarius primitus lectionem exemplaris sui *rhetora sibi* [20] transcripsit, deinde littera *s* in *sibi* inducta eandem litteram uerbo *rhetora* adfixit, ueram lectionem *rhetoras ibi* inde efficiens. Quae quidem ex Reifferscheidi apparatu critico non apparent. Ceterae lectiones *titulo, sero, Nucerino*, non in solo Ottoboniano inueniuntur, sed in fratre quoque eius Vindobonensi (**W**), ita ut nullus dubito quin ex ipso Hersfeldensi libro in eorum archetypum profluxerint. Quid, quod *titulo* in **D** quoque et primitus in **G**, *Nucerino* etiam

[16] Vide infra p. 124.

[17] **W** cum ceteris *appellationes graece* exhibet. Vide infra p. 100.

[18] P. 105, 7; p. 106, 2; p. 124, 11; p. 125, 8. Vide tabulam supra p. 45 sq.

[19] Vide infra p. 70.

[20] Sic non solum in **W**, sed etiam in **B N** Gm.2. Quocirca hanc lectionem libro Hersfeldensi uindicare uix dubito. Vide infra p. 70.

in **B**, *sero* uel aliquid ex *sero* corruptum[21] in eodem **B** margini adscriptum inueniuntur! Quas lectiones infra fusius excutiam.

Cum autem **O** in eis lectionibus quas modo citaui cum fratre suo **W** faciat, inde elucet quam longe a uero aberrauerit Reifferscheidius cum codicem **O** saeculo sexto decimo attribuere uellet. Namque **W**, ut eius subscriptio docet, anno 1466 exaratus est. Quin etiam habeo cur credam Ottobonianum uel aliquot annis ante Vindobonensem confectum esse. Nam c. 24 (p. 119, 3) **O** uerba *unum uel alterum uel cum* exhibens integer[22] est, **W** autem spatio dimidi fere uersus uacuo rite relicto haec uerba omittit, quasi exemplar post codicem **O** transcriptum hoc loco aliquid damni perpessum sit. Quis in ceteris existimet librarium **O** emendando tantopere studuisse ut editiones impressas Ciceronisque epistulas adhiberet, ut uoluit Reifferscheidius, neque tamen tales ineptias quales sunt c. 11 (p. 109, 15) *lydia & icida*, c. 14 (p. 112, 3) *libro sed iam*, ut multa alia taceam, numquam correcturum fuisse? Multis aliis in locis Reifferscheidius uitiosa Lerschi collatione fretus Ottoboniani lectiones perperam profert; sed de uno praecipue loco monere uelim, ne ex apparatu Reifferscheidiano falsa opinio de totius huius codicis indole nascatur. C. 24 (p. 119, 4) ad *postmeridianis* ille sic testatur: "meridianis **O** (*in mg.* post *m. rec. add.*)." Habet quidem hic codex *meridianis* in contextu et *post* in margine punctis binis ad errorem indicandum utrique loco adfixis, sed *post* in margine non est a manu recentiore additum sed ab ea ipsa manu quae totum codicem exarauit. Neque in toto codice minimum quidem uestigium manus recentioris animaduerti. Codex Ottobonianus igitur, ut ego censeo, est opus ante annum 1466 ab Italo aliquo docto satis accurate atque eleganter confectum, cui uiro praeter unicum exemplar **X** et ipsius ingenium alia subsidia omnino deerant. Hic licet pluris haberet librum emendatiorem copiosissimis indiculis marginalibus instructum singulis capitibus etiam numeris adpositis instar editionis, ut ita dicam, efficere, quam ueram imaginem archetypi repraesentare, nihilo minus pro eius aetatis consuetudine exemplar suum satis religiose exscripsisse mihi uidetur.[23]

In *Dialogo* quoque recensendo uiri docti eadem peruersitate in codicem Ottobonianum olim iudicabant. Michaelisius, qui primus hunc codicem *Dialogo* in auxilium uocauit, licet bonas lectiones ultra uerum teste Andreseno[24] ei attribuerit, pristinae tamen Hersfeldensis libri lectionis testem eum accipere noluit, sed eius bonitatem[25] uel coniecturae uel contaminationi

[21] *serv* (*ser* per compendium) ut uidetur eadem manus quae codicem exarauit margini in **B** adscripsit.

[22] Nisi quod *et alterum* scribendum erat. Vide supra p. 52.

[23] Vide infra p. 58 sq.

[24] *Wochenschr. f. klass. Philol.* XVII 641 sqq., 697 sq.

[25] Codex **W** Michaelisio ignotus erat.

attribuit.[26] Iniquius etiam iudicium de hoc codice protulit Baehrensius,[27] cui etiam codicem Vindobonensem (W) paulo ante ab Huemero in lucem prolatum, ut animaduersione sua indignum, inter codices "recentissimos foedissimeque interpolatos"[28] habere placuit. Sed non est cur Michaelisi, Baehrensi, aliorumque opiniones commemorem, cum omnes quam essent falsae luculentissime demonstrauit Fr. Scheuer a. 1891. Causa fertilis horum errorum, ut probauit Scheuer, fuit id quod in Ottoboniano iudicando Vindobonensem ei cognatissimum uiri doctissimi omnino neglexerunt. Magnum processum in *Dialogi* et fragmenti Suetoniani critica habuit Scheuer, quod codicem **O** hac contaminationis suspicione liberauit, neque tamen ueram indolem codicum **O** et **W** perspexit, cum ab illa priorum opinione, quae **O W** cum codicibus **N I** ita coniungere uolebat, ut omnes ex uno Hersfeldensis libri apographo originem traherent, numquam discesserit. Qua de re infra (p.187 sq.) fusius disseram. Verum tandem perspexit Alfredus Gudemannus, cum in altera *Dialogi* editione a. 1914 in publicum emissa codices **O W** unam facere familiam a ceteris non pendentem iudicauerit, cui nuperrime assensus est Fridericus Carolus Wick. Sed ne Gudemannus quidem ueram auctoritatem horum codicum perspexisse uidetur, quod tamen iudicium persequi nolo, cum fortasse hi libri non eiusdem sint preti in *Dialogo* recensendo quam in Suetoni fragmenti [29] castigatione.

In Suetonio recensendo nemo adhuc Vindobonensem codicem adhibuit. Hunc codicem in lucem protulit Ioh. Huemer, qui a. 1878 selectas lectiones e *Dialogo*, Suetoni libello, *Germania* publicauit, neque eum fefellit miram necessitudinem inter hunc codicem et Ottobonianum intercedere. Quod tamen ad Suetonium pertinet, hanc aestimationem prorsus a mea alienam pronuntiauit (p. 812): "Für Suetons Fragment, das in so vielen und mannigfachen Ueberlieferungen vorliegt, wie der sorgfältige kritische Apparat Reifferscheids uns lehrt, scheint unsere Hs. nur von secundärer Bedeutung zu sein." Veram tandem codicis **W** indolem agnouit Maximilianus Ihmius, qui a. 1906 complures locos Suetonianos tractauit, praestantiam uel solius **W** uel utriusque **O** et **W** demonstrans. Cum autem codicem **O** ipse nondum inspexisset atque collationi uitiosae Lerschianae a Reifferscheidio editae fidere cogeretur, de nonnullis locis in dubio relictus erat. Neque omnes

[26] *Praefat.* p. XIII: "Hic (Ottobonianus), quem in dialogo primus adhibui, tot recentiorum grammaticorum emendationes occupauit ut praeter Pontanum et Puteolanum nemo saeculo quinto decimo in emendando dialogo plus praestiterit."

[27] *Comment. crit.* p. 46: "Addam hic pauca de E siue Ottoboniano omnium liberrime inmutato. cuius ea est condicio ut et ipse saepe inspecto familiae N (= codices V et L in Suetonio) codice quodam (A [= V], ut credere licet) a sua familia desciuerit, propriis praeterea coniecturis indulgens (cf. Michael. not. 11) nouasque inferens corruptelas."

[28] *Comment. crit.* p. 45.

[29] De ceterorum librorum dispositione a Gudemanno facta, cui, quod ad Suetonium pertinet, assentiri nequeo, uide infra p. 191.

locos perscrutatione dignos tractauit Ihmius. Opus autem praeclare inceptum mors praematura ne ad finem perduceret prohibuit.

Hoc insigne in familia **X** animaduerti, Ottobonianum codicem, quamquam multo paucioribus uitiis quam Vindobonensis est maculatus, eis locis ubi ab huius memoria discedens lectiones peculiares ostendit perraro codicis **X** memoriam reuocare, Vindobonensem autem in peculiaribus lectionibus memoriam archetypi **X** et libri Hersfeldensis, ut mihi quidem uidetur, saepe conseruasse. Librarium **O** c. 6 (p. 105, 5) *aliquot uolumina*, c. 21 (p. 116, 1) *quo delegante*, c. 25 (p. 120, 7) *rhetoras ibi*, c. 29 (p. 125, 10) *immunia*, ueras scripturas reuocasse supra (p. 55) ostendi. C. 15 (p. 112, 10) quoque *lurconem* (= **H U L**) pro *lurchonem* in exemplari bene restituit. Hic librarius eam potissimum emendandi rationem secutus est, ut in locis corruptis singulas uoculas quae sententiae obstare sibi uiderentur omitteret, spatio uacuo plerumque relicto. Sic c. 25 (p. 120, 3) ubi *ne renuntiatum est* in Hersfeldensi libro exstabat, *ne* spatio uacuo trium fere litterarum praemisso omisit, atque ueram lectionem sine dubio reuocauit.[30] C. 7 (p. 106, 6) in illo corruptissimo loco uerba *ut hoc* ita omisit ut totus fere uersus quo id caput desinit uacuus relinqueretur; c. 14 (p. 111, 14) ante grauiorem illam lacunam uoculam *τοῦ*, quae in **X** ut uidetur in *tot* abierat, parua lacuna indicata omisit; c. 25 (p. 119, 12) *item*, quod propter uerba *senatus consultum* (uel *s.c.*) delapsa sensu carere uidebatur, spatio uacuo relicto et cruce desperationis margini adfixa omisit; eandem rationem c. 29 (p. 125, 4) ubi *tibet* in **X** legere debebat secutus est. C. 25 (p. 122, 18) ubi *tum* iam in **X** in *in* corruptum esse uidetur librarius **O** hoc uerbum omnino omisit neque lacunam indicauit. Item c. 24 (p. 118, 10), ubi Hersfeldensis liber *hos cum diligenter repetere* (pro *repeteret* ut uidetur) testabatur, *repetere* in *recepere* satis inepte mutauit et *cum* consulto, ni fallor, omisit. Vtrum c. 2 (p. 101, 7) librarius **O** ueram scripturam *uettius* de industria restituerit uix diiudices. C. 30 (p. 127, 4) **O** solus illam scripturam *ac* (pro *et*) quae teste Decembrio in Hersfeldensi libro erat praebet; sed magnopere dubito an magna fides Decembrio tam paruis rebus habenda sit. Librarium **O** *ac*, *et*, *atque*, aliis locis inter se confudisse e tabula supra (p. 45 sq.) exhibita animaduersum est. Alia de industria immutata esse uidentur, ut (p. 98, 9) Staberi Erotis nomen in indicem insertum; c. 3 (p. 102, 14) *quadringentis* pro *quadringenis*, et c. 23 (p. 117, 16) *quadringenta* pro *quadringena*; c. 18 (p. 114, 4) *cognominauit* pro *transnominauit*. Verborum ordo saepius mutatus,[31] pauca uerba omissa, ut c. 16 (p. 113, 3) *et*, sorti deberi uidentur. Omnino codex **O** eis uitiis quae per librari neglegentiam

[30] In ora exemplaris Reifferscheidiani Vahleni manu scriptum *neruntiat* inueni, quod hunc errorem optime explicare mihi uidetur. In aliquo antiquissimo codice librarius neglegenter *neruntiatum* pro *renuntiatum* scripsit. Corrector aliquis *-runtiatum* in *renuntiatum* bene correxit, sed originem illius *ne-* non perspiciens id non sustulit, unde exortum est *ne renuntiatum*.

[31] Vide supra p. 45 sq.

exoriantur fere caret, neque ea libidinosa interpolatione, qua multi nostrorum insignes sunt, est maculatus; atque, nisi omnia fallunt, magna auctoritate est habenda in Hersfeldensi archetypo restituendo.

Codex **W** certe ab homine indoctiore atque neglegentiore quam qui **O** confecit exaratus est, qui nihil de industria, haud pauca autem inconsulte omisit. Si peculiares huius codicis lectiones perlustraueris, perpauca, quae consulto immutata esse uidentur,[32] multa autem quae currente calamo a librario parum docto ac diligente corrupta sint inuenies. Sed haud raro etiam in uitiis hic codex Hersfeldensis libri memoriam reuocare mihi uidetur. Quocirca huius codicis uitiis ineptis praetermissis, quippe quae fere omnia in tabulis supra (p. 48 sq.) exhibitis uideri possint, notabiliores eius lectiones in archetypis **X** et **Y** et ipso Hersfeldensi codice restituendis saepissime proferam.[33]

III. Notabiliores Familiae X atqve Codicis W Lectiones ad Hersfeldensem Librvm restitvendvm tractantvr. Qvidam Loci Corrvpti Sanantvr.

Ad peculiares lectiones utriusque familiae recte aestimandas et ad codicem Hersfeldensem restituendum haec subsidia nobis suppeditant: primo testimonia Decembri, qui ipsum Hersfeldensem anno 1455 inspexit, et Nicolai Nicoli commentarius;[34] deinde *Agricolae* Aesini octo illa folia uetera, quae olim, nisi omnia fallunt, eiusdem Hersfeldensis libri partem fecerunt; tum aliorum auctorum testimonia, ut Ciceronis epistulae in uita Curti Niciae (c.14), Gellius XV, 11, ad senatus consultum et censorum edictum (c.25) sananda, Ciceronis altera Philippica (17), ex qua Suetonius in c. 29 uerba profert; postremo ea subsidia, quae in omnibus scriptoribus antiquis recensendis suppeditant, nostri auctoris et totius linguae Latinae usus dicendi.

[32] Librarius **W** propriam argumenti capitum distinguendorum rationem secutus esse uidetur; qua in re ea peritia saepius usus est, quae ab eius socordia alibi manifesta abhorreret. Eiusdem fere distinguendi rationem ac librarius **V** secutus est. Sic c. 2 (p. 101, 11), c. 25 (p. 121, 14), (p. 122, 8) soli **W V** capita a ceteris distincta praebent. Item c. 2 (p. 100, 13) **W V U**, c. 4 (p. 104, 12) **W B V** soli eam distinctionem, quae nunc in exemplaribus impressis uidetur, exhibent. Similem capitum distinctionem sententiae conuenientem in ea parte huius codicis, qua *Dialogus* continetur, animaduertit Ed. Philipp. Minus bene tamen c. 4 (p. 103, 11) *Eosdem*, c. 10 (p. 108, 18) *ylen* (sic), solus librarius **W** capita a ceteris distincta statuit. P. 125, 11-12 tamen is solus distinctionem inter Sexti Clodi et Albuci Sili uitas indicare neglexit.

[33] Secunda manus in **W**, quae, ut e tabulis supra expositis perspicitur, nonnumquam in bonam partem correctiones fecit, nihil ad Suetoni criticam confert; cum satis constet correctorem alius codicis copiam non habuisse. Eum non omnino indoctum fuisse non solum correctiones, quas suo Marte fecit, sed etiam glossae marginales, uelut ad *ylen* (in *ylem* mut. eiusdem correctoris manus) c. 10 (p. 108, 18), *id est materia primaria*, ad *gurgustio* c. 11 (p. 109, 21) *id est cellula indiuiduali*, demonstrant.

[34] Vide supra p. 13 sq.

Hoc primum admonendum mihi uidetur, ne nimiam bonitatem libro Hersfeldensi attribuamus, neue bonas lectiones, etiam si in compluribus codicibus inueniuntur, huic archetypo semper uindicandas existimemus. Nam quomodocumque de opusculis Taciteis iudicaueris,[35] quod ad nostrum libellum Suetonianum pertinet, iam tum cum Romam relatus est non solum imperfectus erat, quippe cui undecim rhetorum uitae deficerent, sed etiam mendosus, ut uerba in Ciceronis epistulis (c. 14) omissa, corruptelae in senatus consulto et censorum edicto (c. 25), in eis quae (c. 29) Suetonius e Ciceronis altera Philippica profert, desperati illi loci c. 3 (p. 102, 14-15), c. 5 (p. 104, 19), c. 7 (p. 106, 6), c. 13 (p. 110, 21), et alia complura testantur. Quid, quod in exiguo illo Decembri testimonio, tres manifestae corruptelae deprehenduntur, quae in nostris libris uel nusquam uel fortuito in uno et altero codice uidentur. C. 1 (p. 100, 1) Decembrius *nec in usu quidem* pro *ne in usu quidem* legit, sed in nostris libris *nec* in solis Bodleiano (**B**) et Harleiano (**H**) inuenitur. Nicolai Nicoli commentarius tamen *ne in usu quidem* testatur, ita ut dubitari liceat an Decembrius uerum Hersfeldensis testimonium hoc loco repetierit. Eodem loco (1. 2) Decembrius *rudis scilicet* profert, sed illud nullo in libro superstite inuenitur.[36] Ultimo autem in capite (p. 127, 3) *Regum* non *legum* legit Decembrius, quam lectionem unus solus codex, et ille longe omnium pessimus, Vrbinatem (**U**) dico, exhibet.[37] Item c. 30 (p. 127, 4) Decembrius *ac uindicem* non *et uindicem* testatur, cum illud in solo **O**, hoc in ceteris omnibus inueniatur. Cum autem librarius **O** saepius *et*, *ac*, *atque*, inter se confuderit, probabilius mihi uidetur hic quoque et Decembrium et librarium **O** ob uoculam *ac* (*libertatis*) praecedentem errauisse. Dolendum igitur est maiorem fidem Decembrio testi haberi non posse, sed hoc persuasum habeo Hersfeldensis libri corruptelas non semel tantum in eius apographis, praecipue in apographo **Y**, cuius librarius doctior quam librarius **X** fuisse uidetur, sanatas esse.

De opusculorum Taciteorum et Suetoni fragmenti dispositione Decembri testimonium et Nicolai Nicoli commentarius inter se consentiunt, hunc ordinem testantes: *Germaniam*, *Agricolam*, *Dialogum*, Suetoni *de Grammaticis et Rhetoribus*. *Agricola*, ut satis constat, paulo postquam Decembrius Hersfeldensem codicem uidit a ceteris opusculis recisus est, neque in alterutro apographo **X Y** locum obtinuit. Inter omnes libros qui aetatem tulerunt **W** solus tria opuscula *Germaniam, Dialogum*, Suetoni reliquias eodem ordine conseruat quem in Hersfeldensi codice obtinebant. In **O** autem

[35] Gudemannus (p. 115) *Dialogi* textum, quamquam imperfectum, haud ita mendosum iudicauit.

[36] In codice γ *rudis* (*scilicet* omis.) stetisse uidetur (sic in **M K C F**). In ceteris huius stirpis libris *rudis* in *rudi* correctum est.

[37] Lectio duplex in Hersfeldensi codice fuisse mihi uidetur. Vide infra p. 166.

Germania deest, cum *Dialogus* Suetoni fragmentum sequitur. Quaenam fuerit causa ordinis mutandi in Ottoboniano non apparet, sed uix dubitari potest quin **X** Hersfeldensis libri ordinem seruauerit, quem **W** per successionem acceperit. Librarius **Y** librorum dispositionem mutauisse uidetur, cum Hersfeldensis codicis ordo ne in uno quidem codice huius familiae deprehendatur; sed tanta est confusio familiae **Y** testimoniorum, ut librorum dispositionem in ipso **Y** praestare uix audeas. Familiae **Y** hi codices duo opuscula Tacitea *Germaniam* et *Dialogum*, et Suetoni fragmentum continent: Neapolitanus (N) Vaticanus 1518 (I) Vaticanus 1862 (V) Leidensis (L) Venetus Marcianus (M) Vaticanus 4498 (Δ). Vaticanus Δ tamen, qui *Agricolam* quoque complectitur, nihil ad hanc quaestionem pertinet, cum, ut infra (p. 189) demonstrabo, eius librarius Suetoni opusculum ex eodem exemplari ac Taciti libellos transcribere nullo modo potuerit. Codex **V** qui inter singulos familiae **Y** codices maxima fide est digna *Germaniam*, Suetoni libellum, *Dialogum* eo ordine quem uides exhibet. Codices **I** et **M** Suetonium primo *Dialogum* secundo *Germaniam* tertio loco exhibent. Si eam dispositionem quae est in **I M** archetypo **Y** attribuas, ordo qui est in **N L**, *Dialogus*, *Germania*, Suetoni libellus, facile explicari potest, cum in **N** Taciti *Annalium* pars posterior et *Historiae* his tribus opusculis praecedant, unde librarius Suetonium ad nouissimum locum relegasse uideatur, ut omnia opera Tacitea ordine sequerentur. Eandem rationem secutus esse uidetur Pontanus, qui codicis **L** archetypum exarauit, Suetonio ultimum locum attribuens, ne inter duos libellos Taciteos alienum opusculum intercederet, quod in communi archetypo codicum **V L** fuisse uidetur. Sed nihil est, cur rem tam incertam fusius pertractem.

De inscriptione nostri libelli Decembrius haec profert: *Suetonii tranquilli de grammaticis et rhetoribus liber. Incipit.* Haec autem in Nicolai commentario inueniuntur: *Suetonii Tranquilli De grammaticis et rhetoribus, qui incipit sic.* Aesinus *Agricola*, quamquam hac ex parte ab humanista saeculi quinti decimi suppletus est, pristinam inscriptionem conseruasse uidetur: *CORNELII. TACITI. DE. VITA. IVLII. AGRICOLAE. INCIPIT.* Quae cum ita sint, haud dubium uidetur quin apographon **Y** Hersfeldensis libri inscriptionem repetierit, quae nunc in codicibus **N G I V** sic ut scriptam uides extet: *C. Suetonii tranquilli de grammaticis et rhetoribus. Incipit.*[38] Codex **W** duas inscriptiones habet quarum una grammaticorum rhetorumque indicibus praemissa pristinam formam retinet, nisi quod uerbum *Incipit* primum pro ultimo loco obtinet. Altera inscriptio in **W** et Ottoboniani inscriptio (indicibus praemissa) utraque uerbum additicium *FELICITER* ostendunt.[38] De indicibus neque Decembrius neque Nicolai commentarius testatur. Eorum familiae **Y** codicum qui pristinam inscriptionem conseruant, **G I** eam indicibus praemissam, **V** indices se-

[38] Vide supra p. 40 sq.

quentem habet; **N** autem indice caret. Qua in re **G I**, quoniam cum **O W** fere consentiunt, pristinam formam seruare uidentur. De totius libelli subscriptione nulla est inter nostros codices consensio. Ea subscriptio quae est in **O**, *DEFICIT. FINIS. DEVS. CONCEDAT. VT. REPERIATVR*, manifesto est additicia. In **W G I** nulla omnino est subscriptio, **N** haec margini adfixa profert: *uacat in exemplari*; **V** *Non repperi ultra in exemplari.*[39]

Nunc inuestigandum est quod lumen nostrorum librorum archetypo *Agricola* Aesinus diffundere possit. Cum de *Agricola Aesino* loquor sola ea octo folia uetera e saeculo nono uel decimo prouenientia, quae olim ipsius Hersfeldensis libri pars fuerunt, in animo habeo. Suetoni fragmenti archetypum certe eiusdem erat aetatis atque illa *Agricolae* octo folia, et uerisimillimum mihi uidetur id eadem manu exaratum esse, ita ut *Agricolae* Aesini propria, orthographia, litterarum formis, scribendi compendiis, ceterisque rebus, omnia optimo iure nostrorum codicum archetypo uindicari possint. In *Agricola* Aesino maxima est scribendi compendiorum parsimonia, quod idem in archetypo Suetoniano obtinuisse persuasum habeo. Quod si uerum est, pars maxima eorum errorum, qui in nostris codicibus ex compendiis male resolutis exorti se habent, non ad compendia in ipso Herfeldensi codice, sed ad compendia in eius apographis referendi sunt, quod Gudemannus in *Dialogo* recensendo (p. 115) recte agnouit, Wickius nuperrime sine iusta causa negauit.[40] Quam opinionem, si lectiones peculiares utriusque familiae **X** et **Y** supra (p. 39 sq.) prolatas cum lectionibus singularum familiae **Y** stirpium infra exhibitis contuleris confirmari uidebis. Nam inter illas perpauca uitia, quae librari imperitiae in compendiis explicandis certo iudicio attribui possint, inuenies, inter has autem talia complura uidentur. Hoc quoque animaduertendum est, quamuis ipse Hersfeldensis liber perpauca compendia haberet, archetypa ex quibus ipse ortus traxerit, compendiis ita abundare potuisse, ut iam in Hersfeldensi libro talia uitia exstarent.[41]

Non tamen omnino compendiis carebat Hersfeldensis liber, ut *Agricola* Aesinus aperte demonstrat, et illis ipsis compendiis quae in Aesino codice se habent adhibitis, omnes fere discrepantias inter **X** et **Y** quae hac compendiorum ratione explicandae sunt enucleatas habes. C. 28 (p. 124, 14) **O W**, quibus nescio quo casu **B** consentit, ueram scripturam *nucerino* praebent, familiae **Y** libri praeter **B** *Nuncino* fere habent. Ansam ad hanc dis-

[39] De subscriptionibus in **B D L** uide infra p. 116; in stirpe γ uide infra p. 142.

[40] Vide infra p. 192.

[41] Sic fortasse enucleanda sunt c. 1 (p. 100, 7) *adnotum* pro *adnotatum* (uide infra p. 104); c. 26 (p. 123, 13) *significabat* pro *significat* in omnibus codicibus; c. 25 (p. 120, 7) lectio duplex *latinos rhetoras: latine scilicet rhetoras*, si re uera haec uarietas ipsi Hersfeldensi referenda est (uide infra p. 89).

crepantiam interpretandam hae scripturae in *Agricola* Aesino inuentae nobis porrigunt:[42] f. 63ª, 16 *caluae* (pro *cateruae*), f. 60ª, 13¹ *muliebril* (pro *muliebriter*), f. 62ª, 21 *introgate* (pro *interrogate*). Vnde constat in archetypo Suetoniano *nucino* uel tale quid extitisse. Quod autem codex **B** ueram lectionem cum **O W** ostendit, coniecturae eius uiri docti, qui codicis **B** archetypum exarauit,[43] id deberi mihi uidetur.

In *Agricola* Aesino litterae *us* uerba terminantes nexu quodam nonnumquam coniunctae sunt, ut f. 57ª, 23 *indecoru*, f. 62ᵇ, 25 *anxiu*. Quinque exempla notat Annibaldius (p. 75). Similis nexus in Hersfeldensi libro corruptelas c.5 (p. 104, 18) *libertis*, c. 15 (p. 112, 13) *surreptis*, fortasse etiam c.10 (p. 108, 5) *praetextatis*[44] in apographo **X** peperisse mihi uidetur.

C. 2 (p. 101, 12) familia **X** recte [45] *generque Aelii*,[46] familia **Y** falso *gener .Q. Aelii* testatur.[47] Huius erroris causam codex Aesinus aperte docet, quippe qui uoculam *–que* fere semper compendiose *–q*. proferat. C. 2 (p. 101, 7) **W** solus ueram scripturam *uectiusque*[48] exhibet; familia autem **Y** *Vectius .Q.* testatur, quem errorem **O** quoque admisit.[49] C. 18 (p. 114, 14) familia **X** e contrario *atque* falso profert, in familia autem **Y** stirps β ueram lectionem *ad .Q.*, stirps α utrumque *ad .Q. atque* exhibet, stirps γ denique *.Q.* omittit. In Aesino libro *adq*. pro *atque* saepius erat, quod genus erroris secunda manus maximam partem sustulit, nonnumquam tamen hoc officio fungi neglexit, ut f. 56ᵇ, 11¹; f. 60ª, 22; f. 60ᵇ, 24¹; ubi *adq*. pro *atque* sine ulla correctione inuenitur. Hoc igitur loco in Hersfeldensi codice consentaneum est correctorem nimio emendandi studio *atque* siue supra uersum siue in margine scripsisse eo pacto, ut uel pristinam lectionem *ad q*. (pro *ad Q*.) corrigeret ut ipsi uidebatur, uel ut alteram lectionem proponeret. Librarius autem **X** falsam scripturam *atque* suscepit, dum librarius **Y** utramque perinde atque in exemplari scriptam uidit transcripsit; unde factum est ut librarius α duplicem lectionem in contextum acceperit, librarius β falsam *atque* omnino respuerit, librarius γ denique propter eandem confusionem siue consulto siue inconsulte *Q*. omiserit. Similiter c. 2 (p. 101, 5) *posteaque* in **W** ad *postea q*. (pro *postea Q*.) in Hersfeldensi codice referendum est.

[42] Foliorum numeri ad Annibaldi textum diplomaticum respiciunt.

[43] Vide infra p. 122.

[44] Vide supra. p. 42.

[45] Perperam Reifferscheidius in apparatu.

[46] Paruas discrepantias uelut *Elii*, *Elli*, non adnoto.

[47] Corrector in **L** ueram lectionem coniectura restituit.

[48] *Vettius* pro *uectius* scribendum erat. Sic in **O**.

[49] De lectionibus duplicibus in Hersfeldensi codice uide infra p. 71 sq. Quo pacto **O** *uettius .Q.* et *postea quintus* (*.Q.* in **Y**) cum **Y** exhibeat non liquet. Aut his quoque locis lectiones duplices in Hersfeldensi ponendae sunt, aut, quod uerisimilius uidetur, librarius **X** saepe eadem fere compendia atque Hersfeldensis librarius usurpauit. Sic c. 31 (p. 126, 7) *proorandi* in **W** pro *perorandi* ad similitudinem compendiorum pro *per* et *pro*, quorum exempla in *Agricola* Aesino uidentur, referri potest. Idem uerbum in stirpe γ in *operandi* corruptum est.

C. 17 (p. 113, 16) **O W** *ne quẹm* recte ostendunt, familiae **Y** codices omnes *neque* falso testantur. In codice Aesino nullum compendium pro *quem* praeter *quē* animaduerti. Probabilius mihi uidetur *neque* in **Y** non ad peculiarem formam in Hersfeldensi codice referendum, sed neglegentiae librari **Y**, quippe qui ductum supra litteram *e* in *quē* neglexerit, deberi.

Hoc loco admonendum est de errore quodam quem admisit Ihmius haec scribens:[50] "Auch hinsichtlich der Abkürzungen erinnert **W** an beste Handschriften (ich habe, da es sich um Sueton handelt, vornehmlich den cod. Memmianus im Auge); p. 101, 12 bietet er *E. Q. R.*; p. 101, 13 *RE. p.*; p. 125, 8 *p̄. c̄.*; öfter *C. N.* für das praenomen *Cn.* Dies und anderes weist auf eine in Capitale oder Unciale geschriebene Vorlage. Das Compendium *Q.* hat den Schreibern oft zu Irrthümern Anlass gegeben. Für unsere Schrift kommen u. a. folgende Fälle in Betracht. P. 101, 7 druckt Reifferscheid mit J. F. Gronov *Vectiusque*: so steht schon in **W** (*uectiusqꝫ*), während die übrigen Hss. das Compendium in der missverständlichen Form *Q.* bewahrt haben." In hoc manifesto errauit Ihmius, quod compendium *Q.* pro *–que* in archetypo fuisse existimabat, nam ut supra demonstraui numquam de compendio *Q.* sed de compendio *q.* agitur. Neque propius uero accessit Ihmius, cum quaedam antiquitatis uestigia ad archetypum litteris maiusculis uel uncialibus exaratum respicientia in talibus lectionibus quales *E. Q. R.*, *RE. p.*, *C. N.* detegere sibi uisus est. In *Agricolae* Aesini illis foliis ueteribus prima littera cuiusque capitis maiuscula est forma. Littera *N* maiuscula quater deciens, cum in uerborum initiis tum in mediis uerbis inuenitur; litterae *NT* inter se ligatae totidem fere se habent; littera uncialis *E* bis inuenitur. Sed praeter has, quas modo enarraui, litteras uel maiusculas uel unciales in *Agricola* Aesino frustra requiras. Quae cum ita sint, in litteris maiusculis nostris codicibus exhibitis non antiquitatis uestigia uidere debebat Ihmius sed saeculi quinti decimi librariorum libidinem. Quod ad praenomina pertinet, in *Agricola* Aesino numquam compendiose exprimuntur, sed semper exscripta sunt.[51] Idem in libello Suetoniano semper obtinuisse, quippe qui tam multis praenominibus abundet, affirmare non audeam. Tali quidem opinioni c. 18 (p. 114, 14) lectio *atque* in **O W** obstare uidetur, sed hoc persuasum habeo, c. 3 (p. 102, 13) **O** *.q.* et **W** *quintus* (= **U**; *Quintus* **H**) testantes Hersfeldensis memoriam accuratius reuocare quam ceteros libros, qui *.Q.* proferunt.[52] Tales scripturae in **W** quales c. 14 (p. 111, 5) *.C̄. memmio*, c. 26 (p. 123, 5) *.D.M. Ticinium* pro *ad M. Titinium*, c. 27 (p. 124, 4) *.G.N. pompeium* suspiciones

[50] *Op. cit.* p. 547.

[51] F. 56ᵃ, 15 *gaium*, 27 *aulus*; f. 57ᵃ, 21′ *iulius*; f. 63ᵃ, 13′ *aulus*.

[52] C. 31 (p. 126, 14) Hersfeldensis liber testante Decembrio *lucium pisonem* habebat, sed paulo infra (p. 127, 2) *M. insuper brutum*. Vehementer tamen dubito an Decembrio in tam minutis rebus magna fides habenda sit. Eodem loco **B** solus inter nostros libros *lucium* ostendit, ceteri omnes *L.*

de litteris maiusculis in hoc codice per se mouere debebant. Numquam igitur antiquitatis uestigia in talibus formis quales sunt in **W** c. 2 (p. 101, 12) *E. Q. R.* et c. 16 (p. 112, 17) *.R̄.* (pro *Romano*) quaeram, sed multo magis Hersfeldensis memoriam seruatam uideo in compendio *r.* quod idem **W** c. 2 (p. 102, 14) exhibet; siquidem in *Agricola* Aesino f.56ª, 8[1] *populi .r.* inueni.

C. 25 (p. 120, 2) quoque **W** ueram archetypi memoriam reuocat *eiere* (pro *ei e re*) p̄ testans,[53] ut haec in *Agricola* Aesino aperte demonstrant: f.56ª, 11 *rem̄p*, f.62ª, 13[1] *reip̄*. Verius tamen, ut mihi uidetur, antiquitatis uestigia c. 29 (p. 125,8) in compendio *.p̄.c̄.*,[54] quod praebet **W**, detexit Ihmius.

C. 2 (p. 102, 12) **X** cum **B V L** consentiens *septingentis* ostendit, ceteri libri (*cLcc* **U** *ducentis* **Q**) *.dcc.* uel *.DCC.*; item c. 21 (p. 116, 5) **X B V Q** *centum et quinquaginta*, ceteri *C & L*. Hic quoque tales formae quales *DCC* et *C & L* testante *Agricola* Aesino ab Hersfeldensis consuetudine abhorrere uidentur. Talem scripturam in *Agricola* Aesino non animaduerti, sed contra f. 62ª, 12[1] *quinquaginta* (quod in *Agricolae* codice B L^{ta} transcriptum est), f.63ª, 11[1] *decemilia* (!), 12[1] *trecenti sexaginta* (in *Agricolae* codice B *CCCLX*) inueni. Non tamen est infitiandum c. 23 (p. 117, 19) **B V Q** soli *trecenta sexaginta quinque uasa* exhibere, **O W** cum ceteris *ccclxv uasa* habere, ita ut in dubio uideatur, utra forma archetypo uindicanda sit.[55]

Ihmius in multis rebus orthographis insignem bonitatem uel antiquitatis uestigia in codice **W** perspicere sibi uisus est, quam opinionem certe *Agricola* Aesinus magna ex parte confirmat. In nostris codicibus nulla est unanimitas de genetiuo singulari eorum nominum propriorum quorum nominatiuus singularis in *–ius* desinit, neque *Agricola* Aesinus auxilio subuenit, cum talia nomina in genetiuo singulari in eo non animaduerterim. **O** ueram scripturam[56] in simplici *i* numquam solus, quater cum compluribus aliis codicibus profert: c. 7 (p. 105, 14) *dionysi* (= **W N G V**),[57] c. 16 (p. 113, 7) *domiti* (= **W B V K H C**), c. 19 (p. 114, 16) *orbili* (= **W N G I B V**). **W** e contrario c. 7 (p. 105, 20) ueram scripturam *iuli* solus exhibet; ter cum solo **V** simplicem *i* praebet: c. 2 (p. 100, 11) *enni* (in *ennii* mutauit altera manus in **W**),

[53] Vide tabulam supra p. 43. Ottoboniani librarius compendium p̄ haud recte intellegens in *pre* explicauit, pro *eiere* autem *eicere*, quod in **W** quoque margini adscriptum se habet, substituit. Vide infra p. 77.

[54] *p.c.* **O G U** *patres conscripti* **N I P** *p̄res co^ti* **B** *P. C.* **D** *.p. c^ti* **V** *.p. con.* **L** *p̄res cons* **M** *.P. con.* **K** *p̄res conscripti* **H** *p. co:* **C** *P. c.* **Δ** *.p. conscripti* **Q**.

[55] Non ignoro lectionem *trecenta sexaginta quinque* in Hersfeldensi libro Vrsini (in Cic. *pro Cluent.* inscript.) emendationi obstare uideri. Rothius Reifferscheidiusque Vrsinum sequentes *CCCLX uuas edidisse* ediderunt; Osannus *trecenta* (!) *sexaginta uuas edidisse*; quod tale quid in archetypo ponit: *CCCLXVVASAEDIDISSE* (uide Ihmium, p. 545 adn. 1). Sed talis error in aliquo libro multo antiquiore quam Hersfeldensi exoriri debebat.

[56] Vna *i* littera in titulis semper usurpatur teste Mommseno, *Hermes* I p. 462.

[57] *dyonisii* in *dyonisi* corr. eadem man. ut uid. in **W**.

c. 10 (p. 109, 4) *salusti*, c. 12 (p. 110, 16) *corneli*; semel **W** cum **B** et **V** facit: c. 8 (p. 106, 13) *enni*;[58] semel cum **N G I B M H C** Δ sed contra codicis **V** memoriam: c. 15 (p. 112, 4) *pompei*. **V** solus ueram scripturam bis ostendit: c. 2 (p. 100, 16) *Enni*, (p. 101, 6) *Enni*;[59] p. 101, 8 **V** et **D** soli *Lucili* testantur. His autem locis ne unus quidem codex ueras formas ostendit: c. 2 (p. 101, 12) *Aelii* uel *Elii*, (p. 100, 16) *Palatii* (*palacii* **W**), (p. 101, 4) *Naeuii* uel *Neuii*, c. 10 (p. 108, 3) *Salustii* (*Sallustii* **L**), c. 29 (p. 124, 20) *Antonii* (*ant.* Δ).

Certius iudicium de eis uerbis compositis quae praepositiones sincere scriptas habent pronuntiari potest, cum tales formas fere solas exhibeat *Agricola* Aesinus, qua in re libri **O W** uel solus **W** mirum in modum Hersfeldensis memoriam reuocare uidentur.[60] Exigua uestigia praepositionum sincere scriptarum in omnibus fere codicibus inueniuntur: c. 24 (p. 118, 11) *obprobrio* (*opprobrio* **L C** *opropbrio* **W**), c. 30 (p. 126, 10) *obtulisset* (*optulisset* **G L**). Eodem pertinet c. 1 (p. 100, 7) *adnotum* (*adnotatum* **B** *annotatum* a *aduotum* **D** *notum* **U** Δ $\overset{+}{a}$*t notum* **L**). His locis familia **X** contra familiae **Y** memoriam Hersfeldensis libri lectiones, nisi fallor, conseruat: c. 4 (p. 104, 2) *adlocutiones*, c. 10 (p. 108, 14) *adsumpsisse*, c. 21 (p. 115, 18) *adserente*. **W** solus praepositionem sincere scriptam ostendit: c. 8 (p. 106, 12) *conposuit*, c. 9 (p. 107, 19) *adpositis*, c. 14 (p. 111, 18) *inbecillitatem*, c. 14 (p. 112, 3) *conprobat*, c. 21 (p. 116, 5) *conponere*, c. 22 (p. 116, 15) *adfirmante*, c. 28 (p. 124, 17) *conparuisse*. C. 24 (p. 118, 14) **O W** cum **V H C Q** *adnotare* proferunt; c. 10 (p. 108, 22) **W** cum **H** *adgressos*. E contrario c. 15 (p. 112, 13) **O W** *surreptis* exhibent, cum ceteri fere (*surreptus* in *surreptis* mut. m.3 **L**) *subreptus* (*subrectus* α) testentur; quae diuersitas haud scio an duplici lectioni in Hersfeldensi codice attribuenda sit.[61]

Eadem ratione tractandae sunt formae in tertia persona singulari temporis perfecti actiui simplici *i* littera scriptae. Vno quidem loco forma in simplici *i* manus emendatrices in fere omnibus codicibus subterfugit: c. 9 (p. 106, 21) *repetit* ω *repetiit* **L K** om. **U**. C. 5 (p. 104, 21) complures codices ueram scripturam praebent: *obisse* **W G B D V L Q**. C. 22 (p. 116, 12) et c. 24 (p. 118, 6) *petit* in solis **O W** inuenitur;[62] c. 30 (p. 127, 5) etiam **W** solus

[58] *enniclencorum* pro *Enni elenchorum* **B**.

[59] *enim* ex *ennii* corrupt. **W I**.

[60] Vide in *Agricola* Aesino: f. 56^a, 22 *adsumpto*; f. 56^b, 14′ *inperiis*; f. 57^a, 14′ *adgressus*; f. 57^b, 9′ *inmisit*; f. 58^a, 25 *ads*$\overset{i}{e}$*dere*; f. 58^a, 19′ *inritamenta* in *irritamenta* corr.; f. 58^b, 1′ *Adnotabant*; f. 59^a, 20′ *adsumpta*; f. 59^b, 26 *adgressi*, 3′ *adsultare*; f. 60^a, 1 *adrogantia*, 7 *inritatis*, 15 *inmixti*^{s} (in marg. *immixtis*), 7′ *inlustrauit*; f. 60^b, 2 *adfluebant*; f. 61^a, 20′ $\overset{d}{a}$*ffectu*; f. 62^a, 24 *adgressos*, 12′ *inponite*, 13′ *adprobatae*, 14′ *inputari*, 17′ *adloquente*, 25′ *adfunderentur*; f. 62^b, 3 *peradcliue*; f. 63^a, 23 *adpropinquauerunt*; f. 63^b, 5′ *adtolli*. Vide contra f. 60^b, 2 *aspiciebantur*, 2′ *aspicientes*; f. 63^a, 25′ *aspectu*.

[61] Vide infra p. 71 sq.

[62] *petit* in *petiit* mut. **U** *petisse* **I**.

redit profert. Formam duplici *i* scriptam in *Agricola* Aesino nullam animaduerti, has autem simplici *i:* f. 59[b], 8[1] *redit*; f. 56[b], 18 *transisse*; f. 62[a], 2 *transisse.* C. 18 (p. 114, 14) omnes codices nostri *transiit* exhibent, itemque c. 8 (p. 106, 11) **I** solus *transit* ostendit.

Simillimae sunt eae formae uerbi *iacere* cum praepositionibus compositae. Simplicem *i* litteram semper exhibet **W**, sed numquam a ceteris omnibus diuersus stat: c. 16 (p. 113, 2) *obicitur* **W B K C Q** *obiicitur* ω; c. 25 (p. 119, 13) *subiciam* **W B K Q** *subitiam* **I** *subiiciam* ω; c. 28 (p. 124, 11) *obicientibus* **W** *obitientibus* **I** *obiicientibus* ω; c. 29 (p. 125, 4) *obicit* **O W B K** *obiicit* ω. Simplicem *i* in Aesino codice semel, f. 59[b], 5[1] *adici*, duplicem nusquam animaduerti.

C. 2 (p. 100, 18) **O W V** antiquiorem formam *ualetudinis* (in *ualitudinis* mut. m.2 **W**) praeferunt, quae in *Agricola* Aesino, licet in parte suppleta, f. 64[b], 14[1] *ualētudinem*, f. 65[b], 11 *ualetudini*, legitur. C. 7 (p. 105, 21) **W** solus inter nostros codices *cotidie* exhibet, quae scriptura certe est praeferenda atque *Agricolae* Aesini testimonio f. 61[a], 11/12 confirmatur. C. 4 (p. 103, 12), item c. 26 (p. 123, 5) **W** solus *epistula* ostendit, quod cum uel sine libro adhibendum erat, tum codice Aesino, f. 63[b], 23 *epistulis*, confirmari uidetur. Ne tamen codicibus saeculi quinti decimi in rebus orthographis nimiam fidem habeamus, animaduertendum est codicem **W** c. 14 (p. 111, 9) *epistulam* pro *epistula* ostendere, quod genus erroris non nisi e compendio *epl'a* in archetypo **X** oriri potuit.[63] Ihmius[64] bonam lectionem *condicionem* c. 21 (p. 115, 19) ex **W** profert, ubi ego in eodem codice *conditionem* legere mihi uideor.[65] C. 30 (p. 126, 12) **W** et **V** soli *condicionem*[66] testantur. C. 30 (p. 127, 7) **O W** cum **G V H C Δ** meliorem scripturam *contionantis* ostendunt. Sed omnino librarius **W** *c* pro *t* et *t* pro *c* satis ad libitum posuisse uidetur,[67] neque semper facile dignoscere possis, utrum *c* an *t* scripserit. In *Agricola* Aesino *prouintia* pro *prouincia* fere semper scriptum est, quod etiam in nostris libris nonnumquam inuenitur: c. 3 (p. 102, 15) *prouintias* **I B**, c. 14 (p. 111, 17) *prouintia* **W I K H**, c. 24 (p. 118, 7) *prouintia* **W I**, c. 30 (p. 127, 2) *prouintiae* **I.**

Inutile est certa argumenta in uice litterarum *e* et *ae* quaerere. Codex **O** *e* pro *ae* fere semper habet, **W** autem satis raro.[68] In hoc **W** cum libro

[63] C. 16 (p. 112, 17) **W** *epl'ae* habet, cum **O**, qui ceteris locis hoc uerbum compendiose scriptum ostendit, *epistole* proferat.

[64] *Op. cit.* p. 546.

[65] *condicionem* **V L K** *condictionem* **B** *conditionem* ω.

[66] In **W** prima manus e *conditionem* correxisse uidetur.

[67] Cf. c. 2 (p. 100, 16) *palacii*; c. 3 (p. 102, 4) *enetuit*, et cetera in tabula supra p. 48 sq. ostenta.

[68] *e* pro *ae* in **W**: p. 107, 12 *diuerse*, 108, 8 *lelium*, 110, 13 *questiones*, 110, 16 *sylle*, 113, 18 *que* pro *quae*, 19 *exacte*, 115, 9 *poete*, 19 *uere* pro *uerae*, 116, 2 *octauie*, 120, 5 *discipline*, 10 *preter*. 122, 6 *hec*, 123, 12 *celius*, 124, 18 *graeceque*, 127, 1 *Italie*.

Aesino facit, qui uel perpauca uel nulla exempla litterae *e* pro *ae* scriptae ostendit. In *Agricola* Aesino litterae *ae* pro *e* saepius inueniuntur,[69] in codice **W** haud raro.[70] Idem scripturae genus in codicibus **N** et **C** saepissime inuenies, sed, cum fieri possit ut tales scripturae in **W** Hersfeldensis libri memoriam conseruent, in **N** et **C** nihil nisi quandam antiquitatis affectationem agnosco.

Litteram *y* pro *i* positam saepissime ostendit **W**, ubi cum uno et altero codice nonnumquam facit.[71] Qua in re **W** ab Hersfeldensis libri usu, quod iudicare possim, abhorret.[72]

Vt hanc quaestionem orthographam absoluam, nonnulla sunt alia exempla, ubi uterque **O W** uel alteruter aut soli aut cum paucis aliis libris ueram scripturam proferunt. Quae scripturae utrum libro Hersfeldensi uindicandae an abiudicandae sint, nihil *Agricola* Aesinus nos docet. C. 16 (p. 113, 6) **W** cum **G** *Vergilium* profert; c. 23 (p. 117, 12) **W G V** *Vergilio*. In indice (p. 98, 12) **O W V G M** ueram scripturam *Nicia*, **B L C** falsam *Nitia* exhibent; in **I Δ** autem nomen huius grammatici indici deest. In contextu c. 14 (p. 111, 5) **O N V M** soli *Nicia* ostendunt, ubi **W** etiam *Curcius* falso testatur; p. 111, 11 **O N D V M K U** *Niciam* recte ostendunt; p. 111, 15 **O W N D V M U Δ** *Nicia*, p. 111, 18 **O W N D V M K U Q** *Niciae* (uel *Nicie*) recte exhibent. Quibus omnibus locis **D** ueram formam e Cicerone[73] reuocare potuit. In nomine C. Albuci Sili in indice (p. 99, 6) **O W** cum **V M** de uera scriptura *Albucius* conspirant; in contextu autem c. 30 (p. 125, 12) **W** solus ueram formam *Albucius* praebet, ceteri omnes[74] falso *Albutius*. Earum uocum, quae ex *adulescens* deriuantur, **W** meliorem formam in littera *u* semper adhibet, **O** numquam. Qua in re **W** cum nonnullis familiae **Y** libris eisque plerumque deterioribus facit: c. 4 (p. 104, 6) **W C Δ** *adulescentulo*; c. 16 (p. 113, 4) **W B G I C** *adulescentibus*; c. 25 (p. 120, 7) **W M H C Δ** *adulescentulos*;[75] c. 25 (p. 122, 13) **W M H C** *adulescentes*. C. 2 (p.

[69] Vide in *Agricola* Aesino inter alia f. 56^a, 30 *aegregius*, 28′ *inter prae tando*; f. 56^b, 1′ *paenes*, 30′ *aegregius*; 58^a, 9 *praecibus*, 27 *praetio*; 58^b, 7′ *craebrae*; f. 62^b, 21′ *aequorum* pro *equorum*; f. 63^a, 12′ *caecidere*.

[70] Cf. p. 101, 6 *fraequentia*, 102, 9 *praetia*, 104, 1 *aeloquentiam*, 105, 17 *latinae*, 112, 14 *praetium*, 115, 16 *mecaenati*, 121, 1 *Latinae*.

[71] Haec exempla collegi: c. 2 (p. 101, 9) *phylocomum*; c. 6 (p. 105, 1) *phylosophyam* (*phylosophiam* **O**); c. 7 (p. 105, 14) *dyonisi scycho brachyonis* (*scycho* in *scytho* immutauit m.2); c. 7 (p. 106, 3) *phylologus* (=**N K**); c. 9 (p. 106, 23) *Cycerone*; c. 11 (p. 109, 9) *perydoneus* (=**K**); c. 11 (p. 109, 15/18) *dyana, dyanae*, (p. 110, 2) *pryapi*; c. 14, (p. 111, 8) *Cyceronis*; c. 16 (p. 112, 17) *Cyceronis*, (p. 113, 9) *epyrota* (=**O M**); c. 19 (p. 115, 1) *orthographya*; c. 20 (p. 115, 3) *hyspanus* (=**I K**); c. 25 (p. 120, 15) *Cycero*, (p. 121, 2) *hyrtio* (=**I B Q**); c. 27 (p. 124, 7) *hystoriam* (=**I B K**) c. 30 (p. 126, 14) *medyolani*.

[72] Haec sola in *Agricola* Aesino animaduerti: f. 59^b, 8/20′ *calydoniam*, f. 61^a, 5′ *calydonia*.

[73] Vide infra p. 124.

[74] Prorsus in dubio sum utrum *-c-* an *-t-* in **O** legenda sit.

[75] Haud scio an hic *adolescentulos* ut antiquissima forma censorio edicto conueniens edenda sit.

101, 8) **W** cum nonnullis aliis libris partim deterioribus genuinam scripturam *saturas*[76] exhibet; c. 5 (p. 104, 16) autem **W** uitiose *staturam* profert, quod tamen propter ipsum mendum *saturam* potius quam *satyram* in exemplari indicat.[77] C. 23 (p. 117, 1) soli **O W** genuinam scripturam *erilem* proferunt, itemque c. 27 (p. 124, 2) *ostiarius*, nisi quod hoc loco codex **Q**, liber interpolationibus magnopere pullulans, cum eis fortuito facit.[78] Quaenam fuerit Hersfeldensis libri facies c. 25 (p. 122, 19), ubi **W** *brundis in* testatur, non extrico, sed non sine causa uidetur **W** litteram *i* recte ostendere ubi ceteri codices litteram *u* falso exhibent.[79] C. 29 (p. 125, 2) **W** cum **K U** meliorem scripturam *temptare* (*temptare* in *tentare* mutatum **G**) ostendit; **O** autem *temerare* habet, quod sine dubio ad *temptare* in **X** referendum est. Neque dubito quin *temptare* in Hersfeldensi libro locum obtineret.[80]

Ne quis me oleum perdere tam minutas quaestiunculas exagitantem existimet, talem inuestigationem non sine fructu persecutus esse mihi uideor. Neque Ihmius tam paruas res neglegendas duxit.[81] Quid quod haec ipsa quaestio orthographa una e duabus fuit causis, quibus Rothius, quippe qui libris **O** et **W** nullam curam dederit, ut falsum iudicium de aetate libri Hersfeldensis (*Henochiani* ut ipse dixit) prompserit, inductus est? Cuius ipsius uerba repetere malo.[82] "Nostram de uita Caesarum editionem si quis cum libello de grammaticis conferre uoluerit, in hoc admodum diuersum genus scribendi uocabula animaduertet. Rarissime enim ueteris scripturae uestigia, et quidem ea fere quae librariorum odium quasi subterfugerunt, deprehendet, praepositionum in uerbis compositis sincere scriptarum exemplum nullum,[83] (48) accusatiui pluralis tertiae declinationis in *is* terminati

[76] *saturas* **W N I V H C** *satyras* **O G B D L M Δ F** *satiras* **K U Q**.

[77] *saturam* **N I B V H U C Q** *satyram* **O G D L M K Δ**. C. 14 (p. 112, 3) **W** *santya* (*satyra* superscript) exhibens non solum genuinam lectionem *Santra* (uide infra p. 76) confirmat, sed etiam in ipso uitio fidelior est quam ei libri qui *satura* exhibent, cum *santra* non in *satura* sed in *satyra* propter litteras *r* et *y* inter se confusas corrumpi debebat. Ceteri libri sic testantur: *satyra* **O G D L M K Δ F** *satura* **N I V H U C** *satira* **B**.

[78] Falsam litteram *h* etiam in *Agricola* Aesino nonnumquam animaduerti: f. 58^a, 4 *cohercuit*, 12′ *cohercere*; f. 61^b, 3′ *cohercitum*.

[79] Vide tabulam supra p. 54. Vide et infra p. 71 adn. 88.

[80] Cf. in *Agricola* Aesino f. 58^a, 14′ *praetemptare*.

[81] *Op. cit.* pp. 547, 553.

[82] *Praefat.* p. LXV ad fin.

[83] Ipsius adnotationes adfero:

"48) Excipiendum p. 257, 7 *adnotatum*, olim in *ad notum* et *at notum* corruptum; nam p. 267, 14 boni libri omnes *annotare* habent."

"49) p. 268, 26 *grandis*; nam p. 263, 8 *omnis* non habent nisi Parisinus codex et incerta editio, qui libri antiquitatis affectatione etiam *quom* pro *cum* scribere solent. Accedant tamen Graeca *acroasis*, *paraphrasis*, *thesis*, *synthesis*."

"50) cfr. supra p. LXV. Adde *Sexti*, *Spoleti*, *Mediolani*, *Brundusi*."

"51) Semel *adulescentibus* et *neglegentia* inuenitur. Adde *antiquos* p. 263, 29."

unum, (49) simplicis *i* litterae pro duplici positae (50) pauca inueniet; contra saepissime *Antonii*, *Sallustii* etc. et uel *obiicere* et *subiiciam* scriptum et de singulis vocabulis, *adolescentes*, (51) *epistola*, *pene*, *tentare*, *concionari*, *quatuor*, *uendicauit*, *Brundusi*, *quanquam*, *unquam*, *nunquam*, sic ut uides scripta offendet. Omnia haec reputans codici Henochiano maiorem quam saeculi XIII aetatem tribuere non audebit." Rothius, cum quinque[84] solum codices ex undeuiginti adhibuit, neque unum quidem optimae notae, non potuit non in errorem delabi. Sed illa ipsa antiquitatis uestigia, de quorum absentia in codicibus suis queritur ille, in libris **O W** uel in solo **W** potissimum inueniuntur.[85] Quae cum ita sint, aliud argumentum haud leuis momenti accedere mihi uidetur, cur codices **O W** uni familiae a ceteris distinctae assignandi sint.

Agricolam Aesinum si quis uel cursim perlustrauerit permultis uestigiis scripturae continuae permouebitur. Haec inter sescenta alia exempli gratia refero: f.56^b, 13 *nuncabignauis* (*nunc ab ignauis*); f. 57^a, 21 *milesotiolasciuir&* (*miles otio lasciuiret*); f.57^a, 6^1 *sedubicumcetero* (*sed ubi cum cetero*); 59^a, 22^1 *speciecumsimulterra* (*specie cum simul terra*); f.61^a, 22 *longin quitasac* (*longinquitas ac*); f. 63^a, 13^1 *inqui s,aulus atticus* (*in quis aulus atticus*). In nostris libris praeter **O** et **W** talis scripturae uestigia uix reperias. Vnum quidem exemplum c. 21 (p. 116, 1) inuenitur, ubi praua uerborum distinctio alterum quoque uitium in Hersfeldensem iam induxerat. Hoc loco libri praeter **O** *quod elegantem* (*quod ellegantem* **B K** *quod eleganter* **D U**) testantur. Librarius **O** suo ipsius ingenio, ut censeo, genuinam lectionem *quo delegante* reuocauit. Alterum exemplum in libris **O W N** Gm.2 **B** inuenitur: c. 25 (p. 120, 7) *rhetora sibi* pro *rhetoras ibi*; quod uitium idem librarius **O** post librum scriptum sustulit. Hanc scripturam continuam fertilem fuisse causam lectionum uariantium quae in ipso Hersfeldensi libro extarent, tales uarietates quales c. 13 (p. 110, 21) *eros nametra: hero suo metre*; c. 9 (p. 110, 5) *calculi selibra: calculis et libra*; c. 29 (p. 124, 20) *extricte se: extitisse* aperte demonstrant. In familia autem **X**, si tabulas (supra p. 40 sq.) perlustraueris, huius scripturae continuae, quae in familiae **Y** libris uix agnoscitur, certissima indicia te non fallent, ut c. 6 (p. 105, 5) *aliquo duo lumina* (*aliquot duo uolumina* sed *duo* deleto **O**) pro *aliquot uolumina*; c. 11 (p. 109, 12) *latinas irem* (*item* **W**) pro *latina siren*,[86] (l. 15) *lydia & icida* pro *Lydiae Ticida*, (p.

[84] **G L H P Q**.

[85] De *uendicauit* uide infra p. 129. Dubito an tales formae quales *grandis* Suetoni aetati uindicandae sint. Quod ad *grandis* ipsum pertinet Suetonius hoc loco Ciceronis uerba profert, cuius aetati talis forma optime conuenit. In alio exemplo a Rothio quoque adlato, *antiquos* (p. 111, 13), ipsius Ciceronis testimonium de suae aetatis usu scribendi ante oculos habere mihi uideor. Quod autem uocabulum Rothius recte edidit, Reifferscheidius pessime in *antiquus* mutauit. *antiquos* in omnibus codicibus praeter **D** (*antiquus*) se habet.

[86] Vide hic familiae **X** praestantiam, cum familiae **Y** omnes libri praeter α (**N G I**) et **L** m 3 *syren* pro *siren* scriptum habeant.

110, 6) *racemidio* pro *racemi duo*; c. 14 (p. 112, 3) *libro sed iam* pro *libros etiam*; c. 21 (p. 116, 4) *qui nun cio corum* (*qni nuntio eorum* W) pro *qui nunc iocorum*; c. 25 p. 130, 2) *eiere* (*eicere* O) pro *ei e re*. Si uero codicis W lectiones peculiares supra (p. 48 sq.) exhibitas perlustraueris satis plura eiusdem generis inuenies, ut c. 4 (p. 103, 10) *inter praeces quia* pro *interpretes qui a*;[87] c. 9 (p. 107, 3) *perialego sedidit* pro †*perialegos edidit*; c. 10 (p. 108, 4) *meam rem* pro *in eam rem*, (l. 10) *ginphone in* pro *Gniphonem*; c. 13 (p. 111, 2) *tantarum* pro *tanta eum*; c. 18 (p. 114, 6) *adom claruit* pro *adeo inclaruit*, (p. 114, 9) *desinit e* pro *desinite*; c. 23 (p. 117, 9) *in etheris* pro *metris*. Qui tales locos in O et W cum *Agricola* Aesino contulerit, negare non poterit ea, quae fortasse primo obtutu nihil nisi inconsulta deprauatio uisa sint, re uera ueriorem Hersfeldensis codicis imaginem repraesentare quam familiae Y emendatiores lectiones. Non sine causa quaerit Ihmius num c. 25 (p. 120, 2) *nee fent* (perperam *nee sent* Ihmius legisse mihi uidetur) in W antiquissimam formam *ne esent* senatus consulto conuenientem conseruet.

Nunc ad quaestionem difficilem de lectionibus duplicibus transeo. In nonnullis nostrorum codicum lectiones duplices saepius inueniuntur, quarum una in contextu altera uel supra uersum uel in margine scripta est. Hae lectiones duplices saepissime in N V inueniuntur, rarius in W G L, perraro in M K, in deterioribus stirpis γ codicibus non apparent, nisi quod c. 13 (p. 110, 21) utraque lectio in contextu locum obtinet.[88] In B I lectiones uariantes praeter eas quas librarii oscitantes in contextum susceperunt non inueniuntur;[89] in O D autem omnino deficiunt. Eadem lectionum uariantium ratione, quae in libro Hersfeldensi se habebant, enucleandae sunt multae discrepantiae inter diuersos libros, etiamsi duplex lectio nullo in codice inuenitur. Ne Rothium[90] quidem fefellit eius modi uarietates in ipso Hersfeldensi codice fuisse. Reifferscheidius[91] quoque has uarietates in communi omnium librorum archetypo fuisse recte iudicauit, sed in opinione, quam de earum origine prompsit, longe a uero aberrauit. Nam non illum ipsum antiquum librum Hersfeldensem (*Fuldensem* uel *Corbeiensem*[92] ut ipse malebat) Romam reportatum, sed apographon eius, quem Enoch Asculanus transcripsisset uel transcribere iussisset, iudicauit; lectiones duplices autem ex eo ortas esse, quod in antiquissimo exemplari, quod Enoch uel eius scriba exscripsisset, scriptura iam ita euanida esset, ut ambi-

[87] Cf. *Agricolam* Aesinum f. 56[a], 28' &*inter prae tando* pro *et interpretando*.

[88] Quaerere licet si c. 25 (p. 122, 19) *brundisii* in H ad ipsum Hersfeldensem codicem referendum sit, quod haud temere crediderim. Vide tamen supra p. 69.

[89] Excipiendum uidetur c. 25 (p. 119, 10) *serv* (pro *sero*?) in margine codicis B per compendium scriptum. Vide infra p. 75.

[90] *Praefat.* p. LXVI ad fin.

[91] *Quaest. Suet.* p. 412.

[92] *Addenda* ad p. 411.

guum uideretur utrum hoc an illud scriptum extaret. Quae opinio, numquam magna consideratione digna, cum cuiuis appareat omnes uarietates hac ratione non explicari posse, nunc Decembri testimonio in medium prolato atque *Agricola* Aesino reperto ne specie quidem ueri adornari potest.

Eiusdem modi scripturae uarietates in codicibus *Agricolae*, *Germaniae*, *Dialogi* inueniuntur, de quorum origine uiri docti opinones diuersas olim habuisse uidentur.[93] Nunc *Agricola* Aesino in medium prolato ne minima quidem dubitatio moueri potest, quin tales lectiones in *Agricola* communi archetypo (h. e. ipsi Aesino in foliis 56^a-63^b) referendae sint. Neque, ut mihi uidetur, eadem ratio de talibus lectionibus in *Germaniae*, *Dialogi*, Suetoni fragmenti codicibus iure negari potest. In *Agricolae* Aesini igitur octo illis uetustissimis foliis (56^a-63^b) haud minus quinquaginta lectiones marginales inueniuntur. Textus uerbis ad quae lectiones marginales referendae sunt signum aliquod adfixum est. Idem signum aut compendium *l'* uerbis marginalibus quoque adfixum est. Nonnumquam fit ut totum uerbum in margine non scriptum sit, sed unica littera quae ad quoddam textus uerbum referatur. Non solum lectiones margini adscriptae sunt, sed etiam uoces uel syllabae uel singulae litterae in textu supra ea uerba ad quae referendae sunt, compendio etiam *l'* nonnumquam margini adscripto ad hanc rem notandam inueniuntur. Hae lectiones uariantes teste Annibaldio (p. 75 et passim) non ab eadem manu quae ipsum codicem exarauit scriptae sunt, sed ex altera quadam eiusdem aetatis manu fluxerunt. Vestigia tertiae quoque manus inueniuntur, quae tamen lectionibus uariis et grauioribus emendationibus fere abstinuit,[94] sed uerbis distinguendis orthographia huius codicis peculiari (uelut *adq.* in *atq.*; *aput* in *apud* corr.) passim corrigenda paruis correctionibus radendo faciendis contenta fuit.

[93] Wexius *Proleg.* pp. 8-10 eas lectiones uariantes, quae in *Agricolae* codice Vaticano A (Γ in apparatu Wexiano) uel supra uersum uel in margine se habent, in alio quodam codice a Pomponio Laeto codicis A scriptore inuentas esse, et non in eodem exemplari quod exscripsit Pomponius fuisse contendit. Cuius opinionem negauerunt Haase, *Comment.* p. LIX, Ritter, Vol. IV p. XV, Kritizus *Praefat.* p. X. K. Schenkl autem, *Zeitschr. f. d. Oester. Gym.* 1861, pp. 421-437, codice Vaticano B (=Δ apud Wexium) cum A diligenter collato, multas earum lectionum uariarum fuisse in communi codicum A et B archetypo aperte demonstrauit. Post codicem Toletanum in medium prolatum O. Leuze, *Philol. Suppl.* VIII (1901) p. 521 sq., omnes fere lectiones duplices in A ad commune archetypum referendas demonstrauit. Cui rei, si minima quidem dubitatio etiam tum haerebat, *Agricola* Aesinus repertus omnem scrupulum sustulit.

[94] *Agr.* 26, 8 (f. 59^b, 7') ubi prima manus recte *noNanis* scripserat, haec tertia manus teste Annibaldio litteras *noN* ut delendas notauit, *rom* autem suprascripsit. Itemque *Agr.* 31, 4 (f. 61^a, 2) supra *fortunaeq.* eadem tertia manus *que* (h. e. *fortunaeque* in *fortunae quae* correxit) scripsit; ibidem post *ageratq. annus* (*ager atque annus*) eadem manus a dextra in margine
quot
ānis addidit.

Quaerendum nunc est unde hae lectionum uarietates in *Agricolam* Aesinum profluxerint, et quanam auctoritate in textu recensendo habendae sint. Si uoces syllabas litterasue quae supra uersum scriptae sunt perlustraueris, partem maximam earum non tam alteras esse lectiones quae propositae sint quam errorum correctiones, quos in codice exarando fecerit prima manus, iudicabis, ut *Agr.* 16, 13 (f. 57ª, 6) *nouus,q.* (eo) pro *nouus eoque*; 17, 8 (f. 57ª, 20¹) *sustinuitq.* (subiit) pro *subiit sustinuitque*; 22, 17 (f. 58ᵇ, 24¹) *nihil erat* (super) pro *nihil supererat*; ubi secunda manus nullo officio nisi eo uerborum a priore librario omissorum supplendorum functa esse uidetur. Eadem quoque ratione capiendae sunt nonnullae lectiones marginales, ut *Agr.* 22, 6 (f. 58ᵇ, 3¹) in textu *nullūāgricola*, in margine autem *ˑab*, ubi corrector nihil addidit nisi uerbum *ab* a priore librario omissum.[95] Si eas lecticnes quae re uera uariantes nominari possunt examinaueris, alias propter litteras in exemplari haud satis composite ac clare formatas originem habere iudicabis, ut *Agr.* 16, 11 (f. 57ª, 2) in textu recte *dūrius*, in marg. falso *-dubius*; 24, 6 (f. 59ª, 21) in textu recte *uàlentissimam*, in marg. falso *ō*; 25, 5 (f. 59ª, 21¹) in textu recte *uirium*, in marg. falso *ūinum*; 30, 11 (f. 60ᵇ, 2¹) in textu recte *cōntactu* in marg. falso *conpactu*; 33, 3 (f. 61ᵇ, 1¹) in textu recte *inštruebatur*, in marg. falso *instituebatʳ*; aliae quin librariorum in compendiis explicandis imperitiae debeantur uix dubitabis, ut *Agr.* 33, 4 (f. 61ᵇ, 3¹) in textu falso *monitis*, in marg. recte *munimentis*; 34, 9 (f. 62ª, 4¹) in textu falso *demtium*, in marg. recte *et metuentiū*. In aliis lectionibus duplicibus sine dubio uanas coniecturas ad textum iam ualde corruptum sanandum propositas agnoueris; certe in Suetoni codicibus uel maximam partem scripturae uarietates hac ratione interpretandae sunt. De aliarum uarietatum origine, uelut *Agr.* 37, 18 (f. 63ª, 30) in textu recte *-dimissis equissimul*, in marg. inferiore perperam *-dimissis qui simulati*; 32, 22 (f. 61ᵇ, 18) in textu recte *āegramunicipia*, in marg. falso *tāetra mancipia*; nemo uerum praestare possit. Ut iam animaduersum est, genuina lectio nunc in textu nunc in margine scripta est;[96] nonnumquam etiam idoneam sententiam ex alterutra exprimere frustra coneris, ut *Agr.* 36, 10 (f. 62ᵇ, 6¹) in textu *fōedare & tratis*, in margine superiore *-foede recti trates˙ uel traces*.

Restat ut quaeratur unde alter librarius has alteras lectiones sumpserit. Quae res prorsus in dubio relinquenda est, sed nullam causam uideo cur alterum codicem ad eius exemplaris, quo usus est prior librarius, me-

[95] *Agr.* 25, 17 (f. 59ᵇ, 15) ubi *èxcedendum* in contextu, *&* in margine inuenitur, dubium uidetur utrum *et cedendum* an *et excedendum* scribendum sit.

[96] Alii loci, ubi genuina lectio in margine, falsa autem in textu inuenitur, sunt: *Agr.* 13, 9 (f. 56ª, 14) in marg. *pceptu*, in text. *praecipue*; 19, 13 (f. 58ª, 20) in marg. *exactionē*, in text. *auctionē*; 21, 3 (f. 58ᵇ, 2) in marg. *et otio*, in text. *inotio*.

moriam corrigendam adhibitum iudicemus. Mihi probabilius uidetur, postquam liber Aesinus ab uno librario exaratus sit, alterum librarium illius operi corrigendo negotium continuo dedisse, nullo subsidio adhibito nisi illo uno exemplari cuius prior librarius copiam haberet. Alter autem librarius errores a priore factos correxit, lectiones uariantes quas in exemplari inuenit transcripsit, nonnumquam, ut suspicari licet, ubi ambiguum ei uidebatur, utrum prior librarius exemplar recte exscripsisset necne, eam lectionem quae sibi uisa est margini addidit. Quomodocumque haec se habent, hoc certum mihi uidetur: in *Agricola* Aesino lectiones marginales uel supra ordinem scriptas summae esse antiquitatis, atque eiusdem fere auctoritatis habendas esse ac textus lectiones. Quae autem de Aesini libri lectionum uariantium indole exposui, ea optimo iure nostro libro Hersfeldensi, quippe cuius Aesinus liber olim pars fuerit, uindicanda sunt.

Quod ad nostros codices Suetonianos pertinet, libro Hersfeldensi iam diu deperdito, nulla est certa ratio quae diiudicet utra lectio in contextu, utra in margine illius libri se haberet. Neque magnopere nostra interest, cum iam demostrauerim nihil ad lectionis bonitatem spectare utrum in textu an in margine locum obtineret.

C. 10 (p. 108, 11) Vindobonensis codex *haere* in textu, *hermā*[97] in margine exhibet. Codicis **W** lectio marginalis *hermam* in **O** et familiae **Y** libris locum in textu obtinet, cum in **N V** altera lectio *haere* supra uersum scripta sit, in **G** autem altera manus *aere* margini addiderit.[98] Reifferscheidius post editionem suam typographis mandatam *Hermam* librari leuem esse coniecturam uel errorem agnouit, atque *haere* cruce praefixa scribendum fuisse professus est.[99] Nam *Hermam* neque sententiae satisfacit et per se propter praecedens *Hermam* (l. 8) suspiciones mouere debet. Ihmius[100] quoque omnem emendationem ex *haere* non ex *Hermam* progredi debere iudicauit. Mihi quidem uidetur non solum illius *haere* sed etiam litterae *m* qua *hermam* terminatur rationem haberi posse. Mercklini praeclara coniectura[101] *haere<s>in*, quae unius solum litterae iacturam ponit, omnibus postulatis satisfacit.[102]

[97] Quo iure Ihmius (*l. c.* p. 551) codicis **W** lectionem marginalem *hermam* alteri manui attribuerit, non prorsus extrico. Cuiuis luce clarius apparere debet eandem manum, quae totum codicem exarauit, hanc lectionem marginalem scripsisse.

[98] Vide supra p. 53.

[99] In editione Reifferscheidiana *Laelium* ante *Hermam* infelici casu inrepsit. Vide Reif. p. 413 adn.

[100] *Op. cit.* p. 551.

[101] *Philologus* XVIIII, p. 158.

[102] Distinctionis signum post *haeresin* ponendum est ut locus sic legatur: *audisse Antonium Gniphonem eiusque haere<s>in; postea docuisse. Haeresis* autem eadem fere quod *dogma* intellegenda est. Ateium iiculariter capere debemus, ut Ciceronem, *Epist. ad. Att.* XIV 14, *de haeresi Vestoriana* scribentem; nam rhetoricus grammaticusque professor re uera *haeresin* habere uix poterat.

C. 18 (p. 114, 12) familiae **Y** stirpes α et β *cum et doceret*, stirps γ *cum edoceret* testantur; familiae **X** codex **W** *cum & edoceret*, codex **O** *cum doceret* exhibet. Reifferscheidius *cum* * * *et doceret* lacuna indicata recte edidit, cum Suetonius uerbo *edocere* numquam alibi utatur.[103] Hanc lectionis uarietatem non in stirpe γ exortam sed ad ipsum Hersfeldensem codicem referendam esse codex **W**, quippe cuius librarius utramque lectionem in textum acceperit, aperte demonstrat. Duplex lectio *&̊ doceret* uel tale quid Hersfeldensi libro facile uindicatur.[104]

C. 16 (p. 112, 16) uerba *libertus Attici equitis* iam in Hersfeldensi libro in *libertus satti equitis* pessum abierant, ut omnes libri nostri docent, nisi quod quattuor interpolatiores codices **C** Δ **Q** **F** *attici* (*actici* **C**) *sati* ostendunt. Lectio duplex *Satti* (r supra) in **L** inuenitur, quam Wissowa (p. XXVI) coniecturam esse (h. e. *Satri* pro *Satti*) illius librari qui Pontani exemplar exscripsit iudicauit. Quae opinio, quam longe sit a uero, libri Vindobonensis et Hauniensis ostendunt, cum hic (**D**) *sarti equitis* ille (**W**) *sattrequitis* exhibeant. Unde colligitur illam litteram *r* uel supra uersum uel in margine scriptam iam in Hersfeldensi locum obtinuisse.

C. 1 (p. 100, 8) familiae **Y** codices **D V L** (*prealegabant* **V**) *praeallegabant* pro *praelegebant* testantur. Quae discrepantia uide ne ad ipsum Hersfeldensem librum referenda sit, cum eodem loco **W** non *praelegebant* sed *praelegabant* proferat.

C. 25 (p. 119, 10) *sero* quod olim Beroaldi coniectura subnitebatur, nunc familia **X** et codicis **B** lectione marginali *serv* (ex *sero* corruptum) confirmatur. In Hersfeldensi codice sine dubio erat *sero: fere*. Trossius, Osannus, Rothius *fere* restituerunt, sed quaenam sententia inde exprimi possit non uideo.

Nunc ad eas lectiones uariantes transeo quarum uestigia non nisi in familia **X** uel in **W** solo inueniuntur. Primo ut maiorem fidem de testimonio codicis **W** euocem unum locum, ubi teste *Agricola* Aesino codex **W** memoriam summae antiquitatis reuocat, proferam. C. 11 (p. 109, 5) **W** *ụburseni* ceteri *Burseni* (uel *Bursini*)[105] testantur. Idem librarius qui codicem exarauit, ut uidetur, errore perspecto litteram *u* ut delendam notauit, sed nihilominus pretiosissimum testimonium nobis reliquit. Nam in *Agricola* Aesino confusio inter litteras *u* et *b* ubique manifesta est. Vide mihi f. 56ᵇ, 12¹ in textu *uō adicca*, in margine *b̄ouid/icta*; f. 59ᵃ, 14ʳ in textu *transuodotriam*, in margine *bo̊dot'aȝ*; f. 60ᵃ, 21 in textu *p̄raeuehebantur*, in margine *p̄bebantur*; f. 62ᵇ, 4¹ *uatabi* pro *bataui*; f. 62ᵇ, 24 in textu *uataęuorum*, in margine *batauorū*. Quomodo igitur dubitari possit quin illa *u* in **W** olim in

[103] Vide infra p. 79 sq.
[104] Cf. *Agricolam* Aesinum f. 56ᵇ, 4 *&̊ quib.*
[105] Vide supra p. 51.

ipso Hersfeldensi locum obtinuisse, praesertim cum iam satis constet librarium **W** hominem certe parum doctum lectiones uariantes non semel tantum in textum accepisse? Non tamen puto aliud nomen in *ubursení* latere, ut uoluit Ihmius (p. 548, adn. 2). Quod nomen *Bursenus* alibi non inuenitur, haud satis idonea causa mihi uidetur cur reiciendum sit.[106]

C. 3 (p. 102, 14) in Vindobonensi *equite a r.* legitur, ubi ceteri libri *equite Romano*[107] habent. Caue autem ne illam *a* sine ulla causa in **W** se habere existimes; siquidem in uersu secundo loco praecedente **W** *panosagecema* pro *panosagacema* in ceteris libris habet. Ergo illam *a* post *equite* in **W** ad *panosagecema* referendam puto.[108]

C. 14 (p. 112, 3) **W** solus ueram scripturam tantum non ostendit: *santya·* (supra scriptum *satyra*) Ceteri libri omnes nihil nisi *satyra* uel *satura* uel *satira* habent.[109] Statius iam dudum *Santra* coniecit, quam praeclaram emendationem a sequentibus neglectam Preller[110] resuscitauit, Osannus, Rothius, Reifferscheidiusque recte ediderunt. Nunc Stati coniectura praeter omnem dubitationem codicis **W** testimonio confirmatur; nam quo modo dubitari possit quin duplex lectio *santya: satyra* in Hersfeldensi libro extaret non uideo.

Aliae sunt scripturae uarietates in familia **X** quae eadem certa ratione libro Hersfeldensi attribui non possunt, sed, cum haec familia tam multis modis memoriam antiqui archetypi reuocet, has quoque lectiones ex eodem Hersfeldensi manauisse tutius credas. C. 3 (p. 102, 13) **O W** in textu falsam lectionem *capulo* pro *Catulo* ostendunt; sed hanc esse meram deprauationem existimare prohibemur, cum in **W** eadem manus ueram lectionem *catulo* in margine scripserit. Duplex igitur lectio *capulo: catulo* archetypo Hersfeldensi meo iudicio uindicanda est, praesertim cum eadem confusio inter litteras *p* et *t* in *Agricola* Aesino uideatur.[111]

[106] Viri docti in nomine *Aeficio*, c. 3 (p. 102, 14) olim haerebant, atque sescentas uanas emendationes proponebant. Reifferscheidius etiam *Eficio* cruce praefixa edidit, posteaque hoc nomine e titulis a Keilio (*Rh. Mus.* XVI [1861] p. 290 sq.) prolato errorem agnouit (1877). Quis autem scit num tituli nomen *Bursenum* olim non confirmaturi sint?

[107] *Romano* plerumque compendiose; uide supra p. 49.

[108] Hersfeldensis lectio hoc loco uix restitui potest. Est etiam quaedam lectionis uarietas in sola familia **Y** exhibita, quam infra p. 95 sq. ostendo. Nihil melius quam Toupi (*Emendat. in Suid. Curae Nouissimae* [1780] p. 266-7) coniecturam Πανὸς ἀγάπημα, quam Reifferscheidius cum nonnullis antiquioribus edidit, noui. Rothius Baumgarten-Crusi coniecturam *Panos agasma* (*AΓACMA*) maluit. C. 9 (p. 107, 3) **W** a ceteris codicibus discedens *perialegos* (*perialego sedidit* in *perialegos edidit* corr. m.2) non *perialogos* ostendit. Toupi coniectura περιαλγής a Reifferscheidio suscepta mihi non placet. Nonne codicis **W** lectio περὶ ἄλγεος indicare uidetur?

[109] Vide supra p. 54.

[110] *Zeitschr. f. Alterthumswiss. Neue Folge* IIII (1846) p. 42. In eiusdem *Ausgewählte Aufsätze* (1864) p. 377.

[111] *Agr.* 30, 11 (f. 60^b, 2′) in contextu *contactu*, in margine *conpactu*.

C. 25 (p. 120, 2) **W** *eiere* ostendit. Cum liber Hersfeldensis tam multa uestigia scripturae continuae haberet, non dubito quin idem in eo extiterit, quod librarius **Y** in transcribendo recte in *ei e re* explicauerit. **O** autem eodem loco *eicere* profert. Satis est admirandum uirum doctum, qui **O** exarauit, uerum in *eiere* latere non uidisse, sed illud *eicere* non est coniectura huius librari, cum idem in Vindobonensis margine prima manu scriptum inueniatur. Aut duplex lectio *eiere: eicere* in Hersfeldensi erat, aut *eicere* a librario **X** concinnatum est, sed talis uarietas omnino cum indole Hersfeldensis libri congruere mihi uidetur.

Minus certum est c. 8 (p. 106, 7) ubi **O** *M. Pomilius Andronicus* ostendit, **W** in textu *M Pompeius andronicus* sed in margine eandem lectionem, quae ubique in familia **Y** inuenitur, *M. pompilius andronicus*, profert. In utriusque libri indice eadem corruptela quam **O** in capite 8 ostendit, *M. Pomilius* (*pomilius* **W**) *andronicus*, uidetur. In re sane dubia hoc propono: in indice *Pomilius* librari **X** merus est error, cuius natura facile perspicitur. In capite 8 codex Hersfeldensis duplicem lectionem *M. Pompeius* et *M. Pompilius* exhibuit, quam librarius **X** transcripsit. Librarius **O** utrum *Pompeius* an *Pompilius* scribendum esset nesciens, auxilium ab indice petiit, falsamque lectionem *Pomilius* ibi inuentam in contextum capitis 8 suscepit. Quod eo facilius credere possum, quo uno saltem loco librarius **O** interpolationem in indicem e contextu introduxit.[112]

Difficillima uidetur quaestio de grammatici Remmi Palaemonis nomine. In indice (p. 98, 21) **W** *Q. remmius* recte profert, **O** *.Q. yemmius* exhibet. In c. 23 (p. 116, 22) **O** *Remmius* praenomine omisso habet, **W** autem *M Emmius*[113] in contextu sed in margine ab eadem manu scriptum *al' .Q. Remmius*. In familia **Y** *Memmius* nusquam inuenitur, neque praenomen *Q.* nisi in **K** omissum est.[114] E contrario uera scriptura *Remmius* in sola **X** inuenies, cum in familia **Y** falsa littera *h* post *R* inrepserit, nisi quod **I** in indice *reminus* ostendit. Mihi duplex lectio *Memmius: Q. Remmius* Hersfeldensi libro uindicanda uidetur, sed certa argumenta desunt. Neque tales lectiones quales c. 9 (p. 106, 20) *mox ex quo*,[115] c. 30 (p. 126, 9) *inlitem quędam*

[112] C. 13 (p. 110, 21) Vide supra p. 58 ad fin.

[113] Littera *M* in spatio uacuo quadrato ad maiorem litteram, quae minio conficienda erat, indicandam scripta est. Ihmius (*l. c.* p. 549) hanc *M* et nonnullas alias litteras eius modi in capitum initiis indicatas posteriori cuidam manui attribuere uoluit. Mihi quidem uidetur omnes eidem manui quae codicem exarauit uindicari posse. Hoc pro certo habeo, ne unam quidem earum litterarum ab eo correctore quem *m.2* nomino factam esse; cuius manus propter atramentum pallidius nos raro fallit. C. 9 (p. 106, 17) ante *Orbilius* illa *m.2* litteram quandam, *S*, ut uidetur, posuit. Haec *S* autem toto caelo differt a littera *L* quam prima manus, ut censeo, eodem loco in spatio quadrato indicauit.

[114] Vide supra p. 40.

[115] Vide supra p. 50.

et *militem quendam*, [116] meo quidem iudicio potius ad codicem **X** quam ad ipsum Hersfeldensem referendae sunt.

Nunc inuestigemus quod lumen aliorum auctorum testimonia nostris codicibus diffundat. C. 14 (p. 111, 15 sq.) Suetonius nonnulla e Ciceronis epistula ad Atticum (XII 26) profert. Clausulam *Quod quia facile ferebat Sicca, eo magis illum desidero*, quae in Ciceronis codicibus inter *prouincia est* et *Praeterea* intercedit, consulto sine dubio omisit Suetonius; sed uerba *uelim, cum mihi ille iucundus esse*,[117] quae in omnibus nostris libris deficiunt, nullo pacto omittere potuit, ut ipsa sententia docet. Haec lacuna quin in Hersfeldensi libro fuerit nemo dubitabit, neque eius origo quemquam fallet, siquidem uerba *molestus esse* (p. 112, 1) et in uersu proxime sequente *iucundus esse* librario fraudes fecerunt. His autem uerbis delapsis cum *non possit* sensu careret, magna lectionum diuersitas exorta est, quam nfra uides:

Y	X
non possit **M** possum (superscr. nō possit) **N** non possit possum **I** possum (superscr. non possum) **G** possem **B D L C** Δ **Q** possem (superscr. i) **V** possem, *in mg.* non possem **K** possim **H** possum **U**	non possit (possit *corr. in* possim *m. 2* **W**)

Ex hac tabula facile perspicies solos codices **O W** una cum tertio codice, quem uiri docti inter libros deteriores iniuria habuerunt (*Venetum* **M** dico), ueram lectionem sincere scriptam exhibere. Inter has uarietates non facile diiudicari potest quae hoc loco fuerit archetypi facies. Duplex lectio *non possit: possem* Hersfeldensi libro uindicanda, cetera singulis librariis attribuenda mihi uidentur.

C. 25 (p. 119, 13 sq.) Suetonius senatus consultum itemque censorium edictum profert, quae quidem apud Gellium, XV 11, inueniuntur. In senatus consulto (p. 120, 2) familia **X** *uti*,[118] familia **Y** *ut si* ostendit. Cum Gelli codices cum familia **X** faciant, non est dubium quin locus sic scribendum sit: *uti ei e re publica fideque sua uideretur.* Vtrum *ut si* coniectura uel error fuerit librari **Y** an lectio duplex *uti: ut si* in Hersfeldensi codice exstaret nihil est quod doceat. In censorio edicto (p. 120, 4) familiae **Y** libri *item dixerunt*,[119] **O** *edixerunt*, **W** autem in textu *tredixerunt* in margine etiam ab eadem manu *ëdixerunt* profert. Genuina scriptura *ita edixerunt*[120] apud

[116] Vide supra p. 43. Non dubito quin *quendam* in **O** ab illius librario interpolatum sit, ut cum uerbo *militem* concinnaret.

[117] Haud recte uerbum *non* proxime sequens incluserunt Rothius Reifferscheidiusque.

[118] *uti eicere* non *ut eicere*, ut Reifferscheidius testatur, in **O** legitur.

[119] In **Q** et editione Veneta 1474, quae codici **Q** cognatissima est, uera lectio *ita edixerunt* e Gellio reuocata est. **L** e Pontani coniectura, ut uidetur, *ita dixerunt* ostendit.

[120] *ita dixerunt* in Gelli codd. Q II.

Gellium inuenitur. Quid in Hersfeldensi libro extaret non liquet, sed illud *tredixerunt* archetypo abdicare uix possum. Non uideo cur omnes tres uarietates *tredixerunt: item dixerunt: edixerunt* in Hersfeldensi libro fuisse non potuerint.[121]

C. 29 (p. 125, 4) aliquid adfert Suetonius e Ciceronis Philippica II 42. Apud Ciceronem locus sic incipit: *At uero adhibes ioci causa.* In Suetoni fragmento tota familia **Y** *Tibi et ioci causa*[122] parua lacuna saepius praemissa testatur; **W** autem *tibet ioci causa* toto fere uersu praecedente uacuo relicto exhibet. Librarius **O** *tibet* quod in exemplari **X** inuenit omnino omisit spatio uacuo quinque fere litterarum relicto. Verba *At uero* Suetonius consulto omittere potuit, et uiri docti recte *Adhibes*[123] potius quam *At uero adhibes* restituisse uidentur. Codicis **W** lectio *tibet* genuinae scripturae propius accedit quam *Tibi et*, neque quisquam *tibet* Hersfeldensi libro abiudicare audebit.[124]

Alii sunt loci ubi nulla subsidia nobis adsunt, nisi ea quae et ipsa sententia et Suetoni et uniuersae linguae Latinae usus dicendi suppeditant. Primus tractandus est ille locus corruptissimus, c. 3 (p. 102, 13 sq.), adhuc non sanatus, quem Reifferscheidius sic edidit: *L. Apuleium ab* † *Eficio Caluino equite Romano praediuite quadringenis annuis conductum* † *multos edoceret*, ita ut haec uerba a *constet* (l. 10) pendere uideantur. Nihil erat haerendum in nomine *Eficio*, nisi quod *Aeficio* scribendum erat, ut postea agnouit ipse Reifferscheidius.[125] Transeamus igitur ad ueras difficultates. Verbum *conductum* nullo modo e libro Hersfeldensi profluere potuit, nam in duobus solis codicibus **G Q** inuenitur; in utroque autem interpolatio manifesta est, nam **G** uoculam *ut* ante *multos* inseruit, **Q** etiam *edoceret* in *edocuisse* mutauit. Familia **X** (**O W**) et familiae **Y** libri **N I D V L** *conductos*[126] ostendunt; codex **B**, qui eiusdem stirpis est ac **D V L**, et omnes libri stirpis γ praeter **Q** *conductus*[127] exhibent. Duplicem igitur lectionem *conductos: conductus* libro Hersfeldensi uindico. Quod ad uerba sequentia pertinet, una salus est in codicum **O W** testimonio. Hi *mutoscedo doceret* testantur, ceteri *multos edoceret*.[128] Vnde alteram lectionem duplicem in archetypo *mutoscedo*

[121] De lectione *latinos rhetoras* in eodem censorum edicto uide infra p. 89.

[122] Discrepantias inter familiae **Y** deteriores libros non adnotaui; cum satis constet quid in ipso **Y** fuerit. Codex **U** longe omnium pessimus hunc locum e Cicerone sic suppletum ostendit: *Tu ūō adhibes ioci causa. Tu* pro *At* in nonnullis codicibus Ciceronianis inuenitur.

[123] Aldus et ceteri fere omnes saeculi sexti decimi *Tibi et ioci causa* ediderunt. *Adhibes ioci causa* primum apud Casaubonum animaduerti. Beroaldus *At uero adhibes* edidit.

[124] De *immunia* eodem loco (p. 125, 10) in **O** inuentum uide supra p. 55.

[125] Vide supra p. 76 adn. 106.

[126] *conductos* e *conductus* in **D**.

[127] In dubio sum de **H**; *conductus* in *conductis* a manu posteriore mutatum, ut uidetur.

[128] *multos doceret* **B** *multos edocent* **D** *ut multos edoceret* **G** *multos edocuisse* **Q** (u. supra) *multos* in *miltos* mutatum ut uid. **K**.

doceret: multos edoceret efficio. Rothius *conductos* edidit et lacunam ante hoc uerbum cum Th. Mommseno statuit. Reifferscheidius recte perspexit corruptelam in *multos* latere. Cuiuis hunc locum perlustranti continuo apparebit aliquot uerba delapsa esse, nam Suetonius ita pergit: *Nam in prouincias quoque grammatica penetrauerat*; quamquam nulla mentio artis grammaticae in prouinciis exercitae facta est. Neque Reifferscheidi interpolatio *iam* pro *nam* adiuuat, sed obscurum locum etiam obscuriorem effecit, ut Ihmius quoque iudicauit (p. 550, adn. 1). Cur autem testimonium familiae **Y** *multos edoceret* damnandum est? Propter hoc potissimum, quod Suetonius, quamquam uerbo *docere* sescenties utitur, uerbum *edocere* numquam adhibet, [129] neque uideo quomodo idonea sententia inde effici possit. Quid igitur ex *mutoscedo doceret* excutiendum est? Primo suspicari licet uoculam *ut* hic latere. Ad illam litteram *m* proxime praecedentem mox reuertar. Verbo autem *ut* ex ista farragine deprompto restat *oscedo*. Syllaba *-do* propter sequens *doceret* dittographiae, quae uocatur, deberi potest, et, si ueram ratiocinationem sequor, delenda est. Restat igitur *osce*, quod uero linguam Oscam significare potest, et sic etiam Funaioli (1907) Buecheleri coniecturam[130] secutus edidit: *ut osce doceret*. Sed pauci, ut credo, grammaticum quadringenis annuis conductum ut linguam Oscam doceret existimabunt. Ego quidem *ut Oscae doceret* lego, unde apparet Apuleium in Hispaniae Tarraconensis[131] urbe illa magna, ubi Sertorius domicilium habebat atque diem supremum obiit,[132] docuisse. Quod ipsa res confirmare mihi uidetur, nam a Plutarcho[133] edocemur Sertorium magistros et Graecae et Latinae disciplinae Oscae instituisse, qui filiis Hispanorum nobilium liberales disciplinas praeciperent. Nunc quoque prouinciae allusionem habemus, quae certe desiderabatur. Sed locus nondum sanatus est, cum *Apuleium* (l. 13) cum uocabulo *conductos* uel *conductus* non congruat. Neque Suetonium *Apuleium* scripsisse credere possum. Pretiosissimum nobis hoc loco testimonium praebet codex **W**, quippe qui in textu ut ceteri *apuleium* ostendat, sed in margine *Apulei*. Hoc *Apulei* certe mendosum est, et propter ipsum mendum interpolationis suspicione carere debet. Hanc formam

[129] Vide supra p. 75.

[130] *Rh. Mus.* LXII (1907) p. 477.

[131] Strabo III 161. Ptol. *Geog.* II 6, 67.

[132] Strabo *l. c.*

[133] Plut. *Sert.* XIV: *τοὺς γὰρ εὐγενεστάτους ἀπὸ τῶν ἐθνῶν συναγαγὼν εἰς Ὄσκαν, πόλιν μεγάλην, διδασκάλους ἐπιστήσας Ἑλληνικῶν τε καὶ Ῥωμαϊκῶν μαθημάτων ἔργῳ μὲν ἐξωμηρεύσατο, λόγῳ δὲ ἐπαίδευεν, ὡς ἀνδράσι γενομένοις πολιτείας τε μεταδώσων καὶ ἀρχῆς. Οἱ δὲ πατέρες ἥδοντο θαυμαστῶς τοὺς παῖδας ἐν περιπορφύροις ὁρῶντες μάλα κοσμίως φοιτῶντας εἰς τὰ διδασκαλεῖα καὶ τὸν Σερτώριον ὑπὲρ αὐτῶν μισθοὺς τελοῦντα καὶ πολλάκις ἀποδείξεις λαμβάνοντα καὶ γέρα τοῖς ἀξίοις νέμοντα καὶ τὰ χρυσᾶ περιδέραια δωρούμενον, ἃ Ῥωμαῖοι βούλλας καλοῦσιν.* De argento Oscensi uide Liu. XXXIIII 10, 4/7. 46, 2; XL, 43, 2. Vide et Huebner *C. I. L.* II p. 407, et titulos ibi exhibitos; et *Suppl.* p. 938.

ex *Apulei'* (h. e. *Apuleius*) corruptam puto.[134] Si autem Suetonium *Apuleius* scripsisse credimus, continuo apparet utra earum duarum lectionum *conductus: conductos* adhibenda sit. Lacuna post *conductus* certe statuenda est, et totum locum sic lego: *L. Apuleius ab Aeficio Caluino equite Romano praediuite quadringenis annuis conductus <esse dicitur atque in Hispaniam deductus> ut Oscae doceret.* Causa corruptelarum facile uidetur, nam illis uerbis quae suppleui uel eis simillimis delapsis *Apuleius* in *Apuleium* mutatum est ut a uerbo *constet* (l. 10) penderet. Hac ratione explicanda est illa *m* in *mutoscedo*. Nam nomine *Apuleius* in *Apuleium* mutato *conductus* quoque correctoris manum perpessum est, quae, ut uidetur, litteram *-m* supra *-s* posuit, unde littera illa inter *conductus* et *ut* in textum inrepsit. *Multos edoceret* igitur uana est interpolatio ad *mutoscedo doceret* sanandum, quae alteram etiam corruptelam *conductos* peperit. Hae omnes corruptiones in libro Hersfeldensi iam extabant, unde prima exordia earum antiquissima fuisse uidentur. Ne quis temere me talem lacunam statuere existimet, hoc admoneo, ne unum quidem locum, ubi aliorum scriptorum testimonia nobis suppeditant, codices nostros textum saluum praebere.[135] Meo quidem iudicio qui librum Hersfeldensem multis lacunis maculatum non agnouerit ueram indolem eius non perspexit. In hac autem lacuna supplenda haec in animo habebam, primo mentionem alicuius prouinciae fieri debere, quae prouincia est Hispania si *Oscae* suo loco recte restitutum est, deinde lacunas saepissime eis locis exoriri ubi idem uerbum paruo interuallo intermisso repetitum sit, aut uerba similiter desinentia in eodem uersu uel uersibus contiguis se habeant.[136] Ergo hoc loco inter ea uerba quae delapsa sunt *deductus*, uel tale quid eisdem syllabis desinens ac *conductus*, ultimum locum obtinere debebat, et in lacuna supplenda, etiamsi ea ipsa uerba quibus usus est Suetonius non restitui, ueram rationem secutus esse mihi uideor.

C. 22 (p. 116, 15) codices **O W** testimonium ab eo ceterorum librorum ualde discrepans proferunt. Familia **Y** *ex oratione Tiberium* testatur, **O W** *ex oratione tiberius* (*Tyberius* **O**) *uerbum* ostendunt. Maduigius[137] iam dudum corruptelam in lectione uulgata *ex oratione Tiberium* latere animaduertit scribens: "Neminem reprehendimus *ex* oratione, neque grammaticus Tiberium ipsum reprehenderat, nec *illud* habet quo referatur. Scrip-

[134] Hic error in ipso **W** oriri, signo ' per librari neglegentiam omisso, uel iam antea factus esse potuit. Signum illud pro *-us* in **W** saepius inuenitur, praecipue in indice. In *Agricola* Aesino unum solum exemplum extat (f. 56^b^, 8) *man'* (*manus*). Vide infra p. 91 ad *uenalicius*.

[135] Vide supra p. 78 sq.

[136] Vide supra p. 78. C. 28 (p. 124, 12) e duobus libris **D** et **Q**, qui nullam necessitudinem inter se habent, uerba *sectam sequeretur, malle respondit Isaurici* exciderunt, propter uerbum *Isaurici* in contiguis uersibus repetitum.

[137] *Aduers. Crit.* II p. 582.

tum fuerat: *cum ex oratione Tiberi uerbum reprehendisset*."[138] Licet forma *Tiberius* manifesto corrupta sit, ego haud dubito quin lectio duplex *tiberius uerbum: tiberium* in Hersfeldensi extiterit, uera autem lectio e familia **X** restituenda sit. Neque quicquam melius noui quam Maduigi coniecturam, quam Rolfius etiam in contextum suscepit.

C. 23 (p. 117, 14) **W** solus eam formam quae in Hersfeldensi libro se haberet praestare mihi uidetur. Agitur de uerbo quod uulgo *parsisse* editur. **W** *percisse* testatur; **O L U** *pepercisse*; **D H Δ** *parsisse*; **V** *parcisse*^{ps}; ω *parcisse*. Perfectum *peperci* solum adhibet Suetonius teste Ihmio.[139] Haud dubium mihi uidetur quin *percisse* ex *pepercisse* corruptum in archetypo locum obtinuerit, atque <*pe*>*percisse* restituendum sit, quod etiam iudicauit Ihmius. Formam *percisse* per compendium[140] in Hersfeldensi libro extitisse puto, quod librarium **Y** falso in *parcisse* eodem tempore emendationem de suo *parsisse* proponentem explicauisse; quamquam non infiteor talem lectionis uarietatem in ipso Hersfeldensi se habere potuisse.[141]

C. 30 (p. 127, 1) familia **X** cum solis **B D** ueram scripturam *excanduisset ut*[142] exhibet. Cum **B D** a ceteris suae familiae discedentes hanc scripturam ostendant, utrumque coniectura eam assecutum existimo.[143] In familia autem **X** haec forma ex ipso Hersfeldensi manauisse uidetur, siquidem teste Decembrio *excanduisset ut* in illo extabat. Alia quoque est hoc loco corruptela quam Rothius copula *et* ante *ita* suppleta recte sanauisse uidetur.[144]

C. 18 (p. 114, 5) familiam **X** *mimographus* exhibentem genuinam scripturam praebere persuasum habeo. Familiae **Y** codices praeter **C Δ Q** *mimographos* (*mimografos* **U**) proferunt, et sic uulgo editur. **C Δ Q** autem *mimographis* (*minographis* **Δ Q**) testantur. Quamquam hi tres libri leuissima sunt auctoritate, uix fortuito accidisse uidetur, ut *mimographis*, quod multo facilius ex *mimographus* quam ex *mimographos* corrumpi poterat,

[138] Eadem narrantur apud Cassium Dionem LVII 17, unde continuo apparet non Tiberium ipsum reprehendisse Marcellum sed uerbum quoddam minus Latinum ab eo usurpatum.

[139] *Op. cit.*, p. 551 ad fin.

[140] Vide supra p. 63 adn. 49.

[141] Aliquid simile c. 18 (p. 114, 6) uidetur. **W** (= **C P**) *percula*, quod archetypo uindico, praebet. Idem uerbum compendiose *percula* in **O M K H** inuenitur; in **N G I D V L Q** *parcula* legitur. **Δ** solus ueram scripturam *pergula* coniectura assecutus est; *pericula* in **B**; omis. **U**.

[142] Perperam hanc lectionem codici **I** attribuit Reifferscheidius.

[143] Vide infra p. 124.

[144] Sic edidit Rothius: *cum cohiberent lictores nimias laudantium uoces*, <*et*> *ita excanduisset*. Eandem emendandi rationem secutus est is qui codicis **B** archetypum (uide infra p. 122) confecit, qui pro *uoces ita excanduisset* scripsit *uoces et excanduisset*. Reifferscheidio, ne illud *et* adderet, grauiorem interpolationem a Stephano primo propositam, deinde a Casaubono omnibusque sequentibus ante Trossium editam, *cum cohibente lictore nimias laudantium uoces ita excanduisset*, resuscitare uisum est.

exhibeant, praesertim cum editio Incerta, quae ut infra (p. 159) demonstrabo e duobus fontibus, archetypo codicis **H** et archetypo codicis **B**, conflata est, *mimographus*[145] proferat. Duplicem lectionem *mimographus: mimographos* Hersfeldensi libro uindicare malim, sed numquam ut *mimographos* in accusatiuo plurali intellegatur, sed potius forma Graeca olim interpolata[146] habeatur. Nam quid sit *mimographum* circa scenam uersari animo facile fingere possum, sed quaenam fuerint officia eius qui *mimographos* adiuuaret non extrico.

C. 4 (p. 103, 25) familia **X** *tam discretis* ostendit,[147] ubi satis constat *iam tam discretis* in **Y** extitisse. Nam *in tam discretis* in stirpe *a* manifesto e *iam tam discretis* corruptum est. Libri **D V L** *iam discretis* proferunt, quod ab Aldo ex editione Florentina 1478 (=**D**)[148] susceptum ad hanc diem in editionibus permansit. Sed uerbum *tam* in **D V L** omissum, cum codex **B**, qui est eiusdem stirpis, *iam tam* testetur, quicquam esse nisi errorem uel interpolationem concedere nolo. Scripsisse uidetur Suetonius *iam tum discretis*, ut olim a Beroaldo restitutum est.

C. 13 (p. 110, 21) hic conuenienter tractari potest. Primo de praenomine et nomine grammatici Staberi Erotis codices **O W** et inter se et a ceteris discrepant. Ottobonianus solus inter omnes libros *L. Staberius* ostendit, sed Ihmio adstipulari, hoc praenomen a librario **O** concinnatum,[149] omnino nequeo. Namque praenomen *L.* non solum in **O** sed etiam in libris **C Δ Q** (*Lutius* **C** *l Vcius* Δ) inuenitur, sed eo pacto ut hi *L. Taberius* exhibeant, ubi **O** *L. Staberius* testatur. Codex **H** quoque *V Taberius* exhibet, ubi illa *V* certe ex *L* corrupta est.[150] In **K** etiam *Taberius* in ordine scriptum est, sed nulla est littera in marginem eminens, ut in capitum initiis in hoc libro uulgo fit. Ceteri autem libri *Staberius* (*Straberius a*) nullo praenomine adhibito proferunt. In Vindobonensi codice hoc quoque animaduertendum est, totum nomen *staberius* in ordine exscriptum esse, cum ceteris locis ubi grammaticis praenomina desunt prima nominis littera in praemisso spatio quadrato, ut minio postea exaranda, indicata sit.[151] Ergo librarius **W** nisi praenomen in exemplari **X** uidisset, primam nominis litteram *s* non in ordine sed in illo spatio uacuo, quod praemissum erat, scripsisset.[152] Noli ta-

[145] Beroaldus, qui Incertam emendauit, *mimographos* edidit.

[146] Vide infra p. 90 ad *grammatices*.

[147] Vide tabulam supra p. 44.

[148] Vide infra p. 126.

[149] *Op. cit.* p. 548 adn. 4: "Für Staberius Eros gab der index kein praenomen; **W** hat daher nur den üblichen leeren Raum markirt, während *L.* freie Erfindung von **O** zu sein scheint."

[150] Codicis **H** apographon **P** *VABERIVS* testatur. In **U** et praenomen et nomen deficiunt.

[151] E. g. c. 5 (p. 104, 14) *s Aeuius nicanor*; c. 12 (p. 110, 16) *c Ornelius epicadus*.

[152] Vnum solum huic opinioni obstare uidetur, quod c. 10 (p. 108, 18), ubi **W** nouum caput indicat, uterque **O W** *ylen* non *Hylen* habent. **W** autem *ylen* in ordine scriptum habet, nulla omnino littera in spatio uacuo praemisso indicata.

men existimare me praenomen *L.* huic grammatico indere uelle. Hoc loco libri deteriores **K H C Δ Q** aliquo sunt pretio, non quod ueram lectionem praebeant, sed quod nos quominus in errorem delabamur prohibent. *L.* littera, ut mihi uidetur, in aliquem antiquissimum codicem olim inrepsit propter confusionem inter ſ et *l*, ita ut iam in Hersfeldensi codice quaedam lectio duplex *l. taberius* et *staberius* extaret.

De eis quae in eodem capite sequuntur singulorum codicum testimonia diuersa primo exponam, deinde quid meo iudicio e tanta farragine eliciendum sit docebo.

Y

eros nametra empturus **N**
(eros *om.*) nametra epturus **I**
hero suo metre emptus
eros nametra empturus **G**
heros nametra empturus[153] *in mg.* (*m.2 in* **M**) hero suo metrę (met' **K**) emptus **M K**
ꝑ erosnametra
hero suo Metre. emptus **V**
hero suo metre. emptus; *in marg.* herosnametra **L**
here suo Metre emptus **B**
hero suo morem emptus **D**
aꝑ hiero
heros suo (*lacuna decem fere litterarum*) empturus nametra **H**
hero emptus (*spatio uacuo quattuordecim fere litt. praemisso*) **U**
hiero suo meneaemptus heros nam&ra (?) empturus **C**
hiero suo menea emptus heros ramata empturus **Δ**
hierausuomene emptus heros empturus **Q**
emptus *post* decatasta; *cett. omis.* **F**

X

heros nametra emptus **O**
eros nametra emptus **W**

Quamquam hae scripturae uarietates in sola familia **Y** inueniuntur, uix dubium mihi uidetur, quin lectio duplex *eros nametra: hero suo metrę* Hersfeldensi libro assignanda sit. Vtrum altera lectio duplex *emptus: empturus* eidem archetypo uindicanda sit, an haec uarietas in sola familia **Y** originem habuerit, non ita plane constat, neque magnopere ad rem pertinet, cum nihil ex uocabulo *empturus* efficiendum sit. Si uarietatem *eros nametra: hero suo metrę* perlustrauerimus, continuo apparebit omnem emendationem

[153] *emptus* in *emptūs* mutauit altera manus in **M**.

ex *eros nametra* procedere oportere. Nam huic grammatico nomen esse *Staberio Eroti* Ios. Scaliger *ad Manil.* p. 4, Plinium *N. H.* XXXV 199 proferens, primus ostendit. *hero suo metrę* manifesta est interpolatio alicuius librari qui e corrupta scriptura *eros nametra* hanc sententiam excutere sibi uisus est: Staberium libertatem ab ero suo, cui nomen esset *Metrae*, emisse. Quae cum ita sint, Rothi coniectura *Staberius Eros suomet aere emptus* plane damnanda est, cum ab interpolata lectione procedat; quae omnia demonstrauit Reifferscheidius (p. 412).[154] Veram emendandi rationem mihi monstrat Vahlenus, cuius in exemplari Reifferscheidiano ipsius manu sub *nametra* scriptum *nam erat* inueni. Quae coniectura neque unam quidem litteram addit neque tollit. Sin Suetonium *nam erat* scripsisse iudicauerimus, statim apparebit aliquid excidisse, nam quo referendum est illud *nam*? Neque tamen multa excidisse existimo, cum Suetonius plerumque in uitis grammaticorum aliquanto post grammatici nomen uerbum docendi ponat, ut c. 5 (p. 104, 14) *Seuius Nicanor . . . docendo peruenit*; c. 6 (p. 105, 1) *Aurelius Opillus*[155] *. . . docuit*; c. 11 (p. 109, 5) *P. Valerius Cato . . . docuit*[156] *multos et nobiles*; hic autem in Staberi uita *Staberius Eros . . . docuit inter ceteros Brutum et Cassium.* In uitarum initiis Suetonius censum eius grammatici, cuius uitam enarrat, fere semper indicat, ut c. 7 (p. 105, 12) *M. Antonius Gnipho, ingenuus in Gallia natus sed expositus*; c. 10 (p. 107, 22) *<L.> Ateius Philologus libertinus*; c. 17 (p. 113, 10) *M. Verrius Flaccus libertinus*; et passim. Hoc quoque animaduerte, Suetonium patroni nomen adducere uideri, si hoc ei notum erat, ut c. 12 (p. 110, 16) *Cornelius Epicadus, L. Corneli Sullae dictatoris libertus*; c. 19 (p. 114, 16) *Scribonius Aphrodisius Orbili seruus atque discipulus.* Staberius Eros autem teste Plinio (*l. c.*) e belli spoliis, ut uidetur, in grege uenalium Romam naui aduectus est. Suetonius autem dominum Erotis non nouit, sed haec sola proferre potest: Staberium de catasta (h. e. auctione publica) esse uenditum atque propter studium litterarum manumissum. Vnum igitur uerbum *libertinus* addo et totum locum sic lego: *Staberius Eros <libertinus> — nam erat emptus de catasta et propter litterarum studium manumissus — docuit inter ceteros Brutum et Cassium.*

C. 30 (p. 125, 17) familia X *suscepit eius partis* (*patris* W) *mores ita impleuit* testatur; familia Y autem *suscepit eas partes* (*partis* B Δ) *atque ita*[157] *impleuit.* Talis discrepantia meo iudicio non explicari potest, nisi duplicem

[154] Beckius (*Berl. Philol. Wochensch.* 1892, p. 797) *Staberius Eros a sua matre emptus* proponens in eundem errorem ac Rothius incidit. Neque fidem faciunt Doergensi (*Philol.* XI (1856) p. 785) et Funaioli (1907) coniecturae. Ille *Staberius Heros* (!) (*cog*)*nomine. Et redemptus* proponit; hic edidit *Staberius Eros natione Thrax.*

[155] *Opilius* codd.

[156] Haud recte Reifferscheidius ceterique editores post *patrimonio* punctum ponunt, ut nota eiusdem Vahleni me monet.

[157] *atque ita*] *actaque ita* K *itaque ita* C *itaque* H U Δ.

lectionem *eius partis mores: eas partes atque* in Hersfeldensi libro ponas,[158] quamquam prioris lectionis origo non liquet.

C. 24, p. 119, 6 **O W** *perraro unius pauca* testantur; **N G I D V L** *perraro* (*raro* **I**) *nimis*. *Pauca* (nulla est distinctionis signum in **I** sed *Pauca* littera maiuscula incipit; in **L** *pauca*); ceteri *perraro nimis* (*minus* **C** Δ) *pauca* (*nimis pauca* om. **U**) sine distinctionis signo. Sic uulgo editur: *idque perraro. Nimis pauca* . . . Ihmio assentior *nimis pauca et exigua* abundare, neque credere possum Suetonium hoc scripsisse. Ihmius hanc opinionem adumbrat,[159] codices **O W** meliorem traditionem praebere atque aliquam altiorem corruptelam (lacunam fortasse) hic latere. Quem de meliore lectione a familia **X** tradita uere iudicasse, grauitatem tamen corruptelae in maius credidisse Aistermanni[160] praeclara coniectura *Viuus* persuadet.

Vtrum c. 3 (p. 101, 17) *metellum* [161] (*M. Metellum* ω) et c. 23 (p. 116, 22) *uicetinus*[162] (*Vicentinus* ω) in **W** sorti debeantur an ad lectionum uarietates in Hersfeldensi referenda sint non liquet. Ad c. 1 (p. 100, 11) iure animaduertit Ihmius *de augurali disciplina* in **X** (= **U** Δ) non deteriorem lectionem quam *de augurandi disciplina* in **Y** praebere. Idem iudicium pronuntiari potest c. 25 (p. 119, 12) de uerbis *censorum edictum* in **X** contra *censorium edictum* in ceteris. In inscriptione etiam ad Gellium XV 11 *item uerba edicti censorum* leguntur. C. 30 (p. 125, 17) neque *exorare* in **O W** neque *excitare* in **Y** satis idoneam sententiam praebere mihi uidetur, sed *excitare* praeferendum puto, cum in scriptura haud satis composita *excitare* facilius in *exorare* corrumpi potuerit quam *exorare* in *excitare*. Dolendum est Ciceronis epistulam ad M. Titinium, quam citat Suetonius c. 26 (p. 123, 6), aetatem non tulisse, quae diiudicaret utrum (l. 8) *et* in **O W** an *quod* in ceteris uera esset scriptura. Certe *et* haud deterior lectio uidetur. C. 11 (p. 109, 21) *abditus modice gurgustio*, quae **O W** testantur, familiae **Y** lectioni *abditus modico gurgustio* praetulerim; nam quid sententiae accedit si uerbo *gurgustio*, quod et ipsum genus habitationis angustum et sordidum significat, uocem *modico* addas?[163]

[158] Cf. *Agricolam* Aesinum f. 63^b, 24 (*Agr.* c. 39, 2) in textu: *uteratdomitianus fronte laetus pectore anxius*, in margine *-domitiano moris*. Codex Toletanus in textu *ut erat domitianus*, in marg. *Domitiano moris*. Codex Vat. 3429 (A) in text. *ut Domitiano moris erat*, in marg. *ut erat Domitianus*. Codex Vat. 4498 (B) in text. *ut Domitianus erat*.

[159] *L. c.* p. 552.

[160] *De M. Valerio Probo Berytio*, Bonnae, 1910.

[161] *Metellum* Rothius; *Q. Metellum* Aldus et uulgo ante Rothium.

[162] *Veicetinus* Aldus; *Vicetinus* Vinetus. Suetonium *Vicetinus* scripsisse codices Hieronymiani ad Ol. 206, 4 persuadent. Sic etiam in optimis titulis. Vide Mommsenum, *C.I.L.* V p. 306.

[163] Cf. *Caes.* 46 *modicis aedibus*; *Aug.* 72 *aedibus modicis Hortensianis*; *Tib.* 11 *hic modicis contentus aedibus*; *Aug.* 73 *toro . . . humili et modice instrato*.

IIII. Lectiones qvas Codex N et secvnda Manvs in G cvm Familia X commvnes habent exhibentvr. Nonnvllae corrvptelae sanantvr. Conspiratio inter Familiam X et Familiae Y singvlas Stirpes tractatvr.

Impeditior est quaestio de nonnullis optimis lectionibus quas praebent O W cum solo N uel cum N et altera manu in G. Quae fere sunt:

	O W N G*m.2*	G*m.1* ω
c. 4, p. 104, 1	meditationum *in text.* O W institutionum (ꝟ meditationum *supra*) N meditationum *in marg.* G *m.2*	institutionum (institutionê B)
c. 5, p. 104, 19	Seuius nicanor[164] posthus: idem ac marcus docebit O saeuius nicanor. post hisidem[165] marcus docebit W Seruius Nicanor is dem ae (ac *supra*)[166] Marcus docebit N Seruius post hoc i'dem at Marcus docebit, *in marg.* nicanõ G*m.2*	Seruius post hoc idem at Marcus docebit G*m.1* Seruius post h' idem At marcus docebit I Seuius/ Seuius postli' idem ac Marcus docebat B seuius post hui' idem. ac marcus docebit L seuius post huius idem ac (ꝟat *supra*) Marcus docebit V Saeuius (Seuius U seuius H) post huius idem at (idem. At, *in marg. eadem man.* aɫr ac M idem: at C) Marcus (marcus H C)docebit M H U C Saeuius est huius idem ut Marcus docebit Δ Saeuius Postmus idem ac Marcus docebit D Sęuius postumus idem. At. M. docebit K Saeuius posthumius idem ac Marcus docebit Q
c. 10, p. 111, 17	solitudo (*in marg.* G*m.2*)	solicitudo (sollicitudo G I B V U Δ P)
	O W N	**ω**
c. 24, p. 119, 1	grammatice O N gramatica es W	grammatices ω grammatices *in* grammaticis *mut. ut uid.* K grammaticis Q grãmatic.s P

[164] Duo uersiculi (18-19) in O sic ostenduntur: in text. *Saeuius nicanor* ÷∧ *posthus: idem ac marcus docebit:* in marg. eadem man. *marci libertis. negabit Seuius nicanor.* Propter *Seuius nicanor* in utroque uersu scriptum librarius in errorem delapsus est, quem tamen in margine correxit.

[165] *hisidem* ex *husdem* corr. eadem man. ut uid.

[166] Nescio si lectio in ordine pro *ae* capienda sit. Certe littera *e* non est eadem forma quam ubique affectat hic codex.

	O W N G*m.2*	G*m.1* ω
c. 25, p. 120, 7	latinos rhetora sibi; *in marg. eadem man.* .i. latine **W** latinos rhetora (s *supra*) sibi **O**[167] latinę (.i. latine, os *supra*) rhetora. sibi **N** latinos rhetora. sibi; *in mg.* .i. latine G*m.2*	latine scilicet rhetores[168] ibi G*m.1* latine scilicet rhetoras. Ibi (ibi **L C**) **D V L C** latinę scilicet rhetoras Ibi **U** latine . ſ. rhetoras (rethores **I**) ibi (ubi **K** Jbi Δ) **I M K H** Δ latine ; rhetora sibi **B** latinos rhetoras. Ibi[169] **Q**
	O W N	ω
c.25, p. 122, 20	uerebatur[170] (uerebat' **W**) **O W** uerebantur **N**	uerebantur
21	imposuit (inposuit **W**)	imposuerunt **G I B** Δ imposuere (imposuer˜ **L**) ω
22	celauit (cęlauit **N**)	celarunt (cęlarunt **H**)
22	uenit (= **U**)	uenitur
	O W N G*m.2*	G*m.1* ω
c. 25, p. 122, 22	res cognita est **O N** (= **D**) recognita est **W** ł res cognita ē *sub uersu; signo* ł *supra uersum quoque posito* G*m.2*	recogniti sunt G*m.1* Res cognita est **D** Rescogniti sunt **V** rescogniti sunt *in* recogniti sunt *corr.* **L**[171] res cogniti sunt **Q**[172] recogniti (recogmti **B**) sunt ω
	O W N	ω
c. 28, p. 124, 16	cornibus aureis **O N** cornibus aurib› **W**	cornibus (cornelius **M**)

[167] Correxit eadem manus; u. supra p. 55.

[168] Prima manus in G scripsisse uidetur *latine scilicet/rhetorice ibi*, deinde *rhetorice* in *rhetores* correxisse. Altera manus *latine* in *latinos* correxit, *scilicet* erasit, *rhetora* in rasura scripsit; deinde post *rhetora* in margine *sibi* scripsit; *rhetores* (ex *rhetorice* corr.) in uersu proxime sequente eradendo et inducendo deleuit; denique uocula *ibi* post *rhetores* animaduersa litteram *s* praemisit *sibi* efficiens, alterum *sibi* autem quod iam uersui praecedenti in margine adfixerat erasit. Eadem altera manus *.i. latine* in margine scripsit.

[169] E Gellio correctum; u. infra p. 179.

[170] L. 19 etiam *educeret* in **O W**; u. supra p. 40.

[171] Prima manus litteram *s* puncto supposito ut delendam notauisse uidetur; tertia autem manus duas uirgulas eidem litterae induxit.

[172] Ex **L** uel libro Pontani contaminatus; u. infra p. 180 sq.

Quo modo fiat ut N et Gm.2 his locis cum familia X conspirent infra[173] excutiam. Praedicare satis est, contaminationem e familia X in N et Gm.2 non possum non agnoscere. Nunc eas lectiones quas supra exposui aestimemus a certis exordientes. C. 10 (p. 111, 17) lectio *solitudo* et ipsa sententia et a Cicerone (*Epist. ad Att.* XII 26) confirmatur. Nihil est ad diiudicandum utrum duplex lectio in Hersfeldensi libro fuerit, an corruptela *solicitudo* (uel *sollicitudo*) in codice Y exorta sit.

C. 25 (p. 120, 7) ueram lectionem *latinos*[174] Gellius XV 11, 2, testatur. Quae fuerit hoc loco Hersfeldensis codicis facies pro certo non extrico; siquidem W N Gm.2 pro altera lectione non *latine scilicet*, quod expectandum erat, sed *.i. latine* praebent. Quo pacto *latine scilicet* ex *latinos* corrumpi potuerit facile diuines; cum uerbo *latinos* in *latines* corrupto librarius aliquis *latine .s.* inde effecerit. Sed ubi haec corruptela exorta est? Vtrum in codice Y an in codice aliquo antiquiore quam Hersfeldensi? Compendium *.s.* pro *scilicet* ab Hersfeldensis codicis consuetudine omnino abhorrebat, sed nulla est causa cur tale compendium in antiquiore quodam libro se habere non posset. Fortasse in Hersfeldensi *latinos* in textu extabat, *latine scilicet* in margine; librarius autem X lectionem marginalem non tam pro altera lectione quam pro interpretamento capiens in sui libri marginem transcribens compendium *.i.* (*id est*) pro *scilicet* substituit. Sed uerum non praesto.

Transeo ad illum locum c. 5 (p. 104, 19) desperatum, ubi diuinatio uirorum doctissimorum satis fertilem sese praestitit, sed, ut mea est opinio, alii in metrum, alii in ipsam rem, omnes in fidem codicum peccauerunt. Mihi testimonia omnium librorum saepius perlustranti luce clarius apparet ueram emendationem non ex *post huius* progredi debere, neque cognomen *Postumum*, nedum *Postumium*, nam tale cognomen nemo nouit, huic grammatico uindicandum esse. Vnde *post hoc* in G exortum sit frater eius codex I *post h'* exhibens docet; qua autem ratione *post h'* capiendum sit, libri O W *posthus* exhibentes plane demonstrant; *postli'* in codice B eodem pertinet. Neque dubito quin *nicanor* non solum in priore uersu (p. 104, 18) sed in hoc quoque uersu codici Hersfeldensi uindicandum sit, ut O W N Gm. 2 docent. Quin in eodem uersu lectio duplex *at: ac* in Hersfeldensi libro fuerit uix dubitari potest. Vna littera deleta et *at* pro *ac* e familia Y substituto totum locum e codicis O testimonio sic sanauisse mihi uideor:

Seuius Nicanor Marci libertus; negabit
Seuius Nicanor Pothus idem. At Marcus docebit

Inutile est quaerere quid Seuius negaturus fuerit aut quid Marcus docturus fuerit, neque haec ad rem pertinent; nam Suetonius hos uerisculos non nisi

[173] P. 113 sq.
[174] De *rhetora sibi* et *rhetoras ibi* uide p. 55; p. 70.

ad duas res demonstrandas profert: Seuium libertum ac duplici cognomine fuisse.

C. 4, p. 104, 1 *meditationum* ut lectionem difficiliorem cum Rolfio edere haud dubitabo; quod etiam probauit Ihmius. Quo modo *meditationum* uerbum reconditius et inusitatius et perraro numero plurali adhibitum in codices inrepere potuerit uix explices, sed si *institutionum* pro glossa, quae iam in codice Hersfeldensi tamquam lectio uarians ualeret, capies, omnia ad liquidum perducentur. Verbum *meditatio* singulari numero idem fere quod *exercitatio*, *praeparatio*, saepius usurpatur; plurali numero usurpatum hoc solo loco ab Ihmio prolato noui; qui tamen locus ad omnes scrupulos tollendos satis esse debet. Gell. XX 5, 1-2: "Commentationum suarum artiumque, quas discipulis tradebat, Aristoteles philosophus, regis Alexandri magister, duas species habuisse dicitur. Alia erant, quae nominabat 'ἐξωτερικά', alia, quae appellabat 'ἀκροατικά'. 'Ἐξωτερικὰ' dicebantur, quae ad rhetoricas *meditationes* facultatemque argutiarum ciuiliumque rerum notitiam conducebant . . ." Confer etiam Quint. II 10, 2, qui et ipse de eloquentia formanda loquitur: "Neque enim uirtus ulla perpetuae duntaxat orationis reperiri potest, quae non sit cum hac dicendi *meditatione* communis."

C. 24 (p. 119, 1) lectionem uulgatam *grammatices* damnauit Reifferscheidius (p. 417), recte quod iudicare possim, censuitque *grammaticae* recipere oportere, etiamsi nulla librorum auctoritate confirmaretur, cum Suetonius forma Graecanica *grammatices* non usus sit. Codicis W testimonium *grammatica es* duplicem lectionem in Hersfeldensi arguit, quamquam quid inde efficiendum sit, haud satis constat. Fortasse *grammatices* ab eodem interpolatum est, qui, nisi fallor, c. 18 (p. 114, 5) formam Graecam *mimographos* introducere uoluit.[175]

In cap. 28 (p. 124, 16) Reifferscheidius, quamquam inique in codices O et N semper iudicabat, non dubitauit eorum testimonia contra ceteros libros accipere atque parua emendatione ab O. Iahnio proposita accepta *cornibus taureis* edidit. Nunc codicis W testimonio, *cornibus aurib,* adhibito, quamquam pro certo statui potest illud *aureis* uel *auribus* aliquem locum in Hersfeldensi obtinuisse, haud scio an res etiam obscurior efficiatur. Aut *aureis* in Hersfeldensis codicis textu locum habebat, et Reifferscheidius recte edidit, nam aptiorem emendationem uix reperias, aut W ueram traditionem praebet et *auribus* ut lectio uarians pro *cornibus* capienda est, quae in familiae X textum inrepsit. Non infiteor *cornibus taureis* magnas illecebras ostendere.[176]

C. 25 (p. 122, 19 sq.) O W uerba omnia *educeret*. . . *uerebatur*. . . *imposuit*. . . *celauit* numero singulari proferunt. N *educerent* cum ceteris libris

[175] Vide supra p. 82.

[176] Vide et infra p. 115.

ostendit; *uerebantur* etiam ut ceteri primitus scriptum habebat, quod eadem manus[177] puncto supposito in *uerebatur* correxit; *imposuit* et *celauit* tamen cum **O W** praebet. De interpolatione in his numeri singularis formis nemo cogitare potest, cum subiectiuum *uenalici* (*Venalicii* **H**) in omnibus codicibus se habeat. Neque talis error tam multis locis per librari imperitiam uel neglegentiam oriri potuit. Illa autem ipsa forma *uenalici* simplici littera *i* desinens, etiam si uerbum singulari numero nusquam inueniretur, magnas suspiciones mouere debebat. Nam nominatiuum pluralem simplici littera *i* desinentem eorum substantiuorum, quorum nominatiuus singularis in *-ius* desinit, alibi et in nostris codicibus et in codice Aesino frustra requiras. Quid, quod codices fere omnes *imposuere* non *imposuerunt* testantur; cum illa forma temporis perfecti in tertia persona pluralis numeri Suetonius tantum non utatur,[178] et in hoc libello talis scriptura nisi in uno et altero codice[179] alibi non inueniatur! Nonne hoc interpolationem sapit? Ego non dubito quin codices **O W N** numerum singularem recte proferant atque *uenal'ci* e *uenalici'* corruptum sit.[180] Haec opinio autem eo confirmari uidetur, quod l. 23 dicit Suetonius *quod domini* (non *dominorum*) *uoluntate fuerit liber*. Si ea quae sequuntur inspicimus, non iniuria codicibus **O W N** fidem habere uidemur, cum hi soli cum Gm.2 et **D** *res cognita est* proferant, quae lectio, quicquid de praecedentibus iudicaueris, certissima ratione edenda est. Quod tamen ad uocem *uenit* (sic in **O W N U** pro *uenitur* in ceteris) pertinet, non eandem fidem codicibus **O W N** habeo, nam *uenitur* certe praeferendum est. Cum codicem **N** e familia **X** contaminatum censeam, nullam causam uideo cur librarius **X** propter praecedentia *imposuit . . . celauit* uel inconsulto *uenit* pro *uenitur* ponere non potuerit. Quod *uenit* in isto **U** pessimo omnium librorum se habet nil moror. Non infitior me haerere cum Hersfeldensis codicis faciem hoc loco restituere tempto. Libenter crederem simplices lectiones in archetypo fuisse, formas plurales autem omnes a librario **Y** concinnatas, nisi codices nostri docerent duplicem fuisse lectionem[181] *rescogniti sunt:*[182] *res cognita est.* Quod si uerum est, satis constat corruptelam illam *uenalici* pro *uenalici'* antiquissimis temporibus alias corruptelas parere coepisse, et haud scio an tutius has omnes duplices lectiones codici Hersfeldensi uindices: *educeret: educerent*; *uerebatur: uerebantur*; *imposuit: imposuere*; *celauit: celarunt*; *uenitur: uenit*; *res cognita est: rescogniti sunt.*[183]

[177] Secundam manum in **N** non noui.

[178] Vide Thimm, *De Vsu atque Elocutione C. Suetonii Tranquilli*, Regimonti, 1827, p. 20.

[179] **D** praecipue hanc formam adamat: p. 120, 15 *appetiuere*, p. 121, 10 *edidere*, p. 122, 15 *odiere*, p. 122, 15 *pepigere*. **W** etiam p. 121, 15 *exercuere* exhibet, sine dubio ob compendium *exercuer̄* in **X**. Cf. in **W** p. 122, 15 *pepiger̄*, p. 122, 16 *expectauer̄*.

[180] Vide supra ad *Apulei* p. 80.

[181] Hanc ad opinionem inclino eo potissimum quod *Res cognita est* in **D** inuenitur.

[182] Hoc potius quam *recogniti sunt*.

[183] Hae uarietates maximam partem singulis syllabis supra uersum scriptis indicari poterant.

Nonnumquam familia **X** corruptas lectiones cum una uel altera stirpe familiae **Y** praebet, cum ceterae stirpes eiusdem familiae **Y** bonas lectiones exhibeant. Qui loci tamen perpauci sunt neque magnum scrupulum mihi iniciunt. C. 23 (p. 117, 7) **O W** cum familiae **Y** stirpe β (**B D V L**) faciunt, *nec ni etiam* (*nec in*; om. *etiam* **B**) exhibentes; ceterae duae stirpes familiae **Y** recte *nec non etiam* (*etiam* om. **K**) proferunt. In re incerta tutius mihi uidetur hanc corruptelam codici Hersfeldensi assignare, ueram autem lectionem in stirpibus α et γ coniecturae attribuere. C. 24 (p. 119, 3) stirpis β codices **D V L** una cum codice **O** *unum uel alterum* testantur. Codicis **W** testimonium nobis non suppeditat, cum hoc loco complura uerba desint lacuna tamen rite relicta.[184] Codex **B** eiusdem stirpis β, *unum et alterum* cum ceteris facit. Cum **B** multis earum corruptelarum quas communes habent **D V L** careat,[185] id ipsum quod **B** *et* cum ceteris codicibus profert demonstrare mihi uidetur corruptelam *uel* in communi librorum **B D V L** fonte se habere non potuisse, sed in eo archetypo[186] e quo **D V L** ortus ducunt natam esse. Quod si uerum est, idem error librario **O** quoque attribuendus est; neque est mirandum duos librarios eundem errorem separatim fecisse, cum causa huius corruptelae in illo *uel* post *alterum* perspiciatur.[187] C. 26 (p. 123, 14) *hordearium*, quidam est consensus inter **X** et β, cum utraque secta litteram *i* pro *e* inter *d* et *a* haud recte ostendat. Testimonia unius cuiusque codicis infra (p. 118) uideri possunt.

Duobus quoque locis familia **X** easdem corruptelas ac familiae **Y** stirps α exhibet: c. 11 (p. 109, 19) *permaneant*[188] pro *permaneat*; c. 20 (p. 115, 7) *quidem* pro *quidam*. Quae corruptelae tam paruulae sunt, ut facile in codice **X** et α separatim exoriri potuerint.[189] C. 3 (p. 102, 3) **X** et α *inpatiens* (*īpatiens* **I**) testantur,[190] ubi non dubito quin pristinam Hersfeldensis codicis lectionem conseruent.[191]

De quibusdam locis, perpaucis sane, ubi familia **X** cum stirpibus α et γ contra stirpis β memoriam corruptas lectiones ostendunt infra (p. 140 sq.)

[184] Vide supra p. 52.

[185] Vide infra p. 122 sq.

[186] λ in stemmate p. 186 exhibito.

[187] *unum et alterum* certe praeferendum est, non solum quod lectio difficilior est, sed etiam quod Suetoni usui dicendi melius congruit. Vide eos locos locos quos Rothius in apparatu conferre iubet: *Tib.* 63 *unum et alterum consulares*; *Vesp.* 4, 6 *unoque et altero proelio tam constanter inito*; *Gr. et Rhet.* 25 (p. 122, 12) *unam et alteram*; *Vit. Horat.* Reiff. p. 45, 2 *unaque et altera liberalitate.*

[188] Hanc corruptelam in **O N I** Reifferscheidius non notat. Haud scio an altior quaedam corruptela in hoc uersu lateat, cum **O W** *saeculo* (*seculo* **O**) non *saecula* exhibeant.

[189] Certe in uerbo *quidem* nihil est haerendum. In codice **L** idem compendium pro *-dem* et *-dam* saepius inuenitur: p. 103, 12 *quađ = quadam*; p. 108, 18 *eunđ = eundem*; p. 117, 13 *quonđ = quondam*; p. 119, 7 *quibusđ = quibusdam*; p. 121, 14 *eađ = eadem*; p. 123, 7 *quenđ = quendam*; p. 123, 11 *eunđ = eundem.*

[190] *inpatiens* in **K C** quoque; *īpatiens* **M** *impatiens* ω.

[191] Vide supra p. 66.

disseram; itemque eas corruptelas, quas **X** et stirpes β γ contra stirpis α memoriam exhibent, infra (p. 104) expositas inuenies. Multo difficiliores intellectu sunt ei loci ubi **X** cum α et β a stirpis γ memoria discedens corruptas lectiones praebent; qui loci fere sunt:

	γ	**X** α β
c. 14, p. 111, 6	Memmius **M K** Memmii **H Q F** Memini **U** memini **C** Memnii **Δ**	Memmia[192] (memmia **W G** Memmio **D** memma **B**)
c. 25, p. 120, 11	iis (his **Δ Q**)	in iis **N G** (*omis. in text. add. in mg. m.2* **G**) **I D V L** (ı *ut delendum notauit eadem man. in* **L**) in his **O W B**
c. 27, p. 124, 1	L. Voltacilius **M** Voltatilius **K** Lucius uoltacilius **H** LVcius uolacilius **U** LVCIUS uolcatius **C** l Vcius Volcatius **Δ** L. VOLCATIVS **Q**	.L. Oltacilius **O W V** .L. Octacilius **N I** L. OCTACILIVS **G** Lutius ottacilius **B** LVCIVS Octacilius **D** Lutius otacilius **L**

Quorum locorum unus solus, c. 27 (p. 124, 1) *Voltacilius*, scrupulum mihi inicit. *Memmii*[193] coniecturae attribuo, quod eo certius uidetur, quod codices **M K**, qui archetypo γ proxime accedunt, non *Memmii* sed *Memmius* exhibent. Quomodocumque hic locus emendandus est, neque quicquam melius quam *Memmi* noui, *memmia* certissima ratione Hersfeldensi codici uindicandum est. Neque causa talis erroris latet, cum uocabulum *ad* proxime sequatur. C. 25 (p. 120, 11) **X** α β praepositionem *in* perperam ostendunt. Sed hic quoque non dubito quin *in his* (uel *in iis*?) in Hersfeldensi codice locum obtineret, librarius autem γ bene emendauerit.

In *L. Voltacilius* e contrario plane haereo. Quamquam soli **M H** ueram scripturam ostendunt, eae formae quae in ceteris stirpis γ codicibus inueniuntur, omnes e *L. Voltacilius* corruptae putari debent. In **X** α β autem omnes lectiones ad *L. Oltacilius* referendae sunt. Talis est nexus inter nostros libros, ut omnia indicare uideantur *L. Oltacilius* in Hersfeldensi locum obtinuisse; sed quo pacto fieri poterat ut stirps γ ueram scripturam reuocaret? Nam *Voltacilius* genuinam esse formam nemo negare poterit, cum in indice (p. 99, 2) libri fere omnes[194] *L. Voltacilius* proferant; Hieronymi codices ad Ol. 174 *uultacilius* ostendant; Macrobi codices *Sat.* II 2,

[192] Falso Reifferscheidius codicum **O I** testimonia in apparatu profert.

[193] *Memini* et *Memnii* ad *Memmii* referenda sunt.

[194] *Volcacilius* **O** *voltatilius* **I** *uolcatius* e textu interpolatum **Δ**.

13 *uotacilius* exhibeant.[195] Putet aliquis librarium γ nomen ex indice correxisse. Quod uix crediderim; nam quomodo librarius ille scire poterat *Voltacilius* genuinam esse scripturam? Neque ullum exemplum in hac stirpe noui ubi textus ex indice correctus est, licet in singulis libris index e textu nonnumquam contaminatus sit.

[195] Hieron. *Chron.* Ol. 174, 4: "Vultacilius (uultacius **B** uulcacilius **A P** uttacilius **F**) Plotus Latinus rhetor Cn. Pompei libertus et doctor scholam Romae aperuit." Macr. *Sat.* II 2, 13: " 'M.' inquit 'Votacilius (*sic codd.; male Casauboni coniectura* Otacilius *editur*) Pitholaus (pytholaus *codd.*) cum Caninius Reuilus uno tantum die consul fuisset, dixit *ante flamines, nunc consules diales fiunt.*' " Codices nostri in c. 27 cognomen *Pilutus* dant, in indice quoque omnes (*pillut'* **I** *pilatus* **L**) praeter **O W** *Pilutus* ostendunt. **O W** *plut'* proferunt. Reifferscheidius cognomen inauditum *Pilutum* respuit et *Plotus* ex Hieronymo restituit. M. Hertzius (*Rh. Mus.* XLIII [1888] p. 312 sq.) cognomen *Pitholaum* huic rhetori restituere uoluit, affirmauitque etiam, se ante decem fere annos nonnullos titulos in quibusdam diurnis uel Francogallicis uel Italicis publicatos uidisse, qui *Voltacilios Pitholaos* laudarent; omnia tamen eorum titulorum uestigia se perdidisse neque inuestigatione diligentissime instituta eos reperire potuisse. Si forte hi tituli iterum in lucem proferantur uix dubitandum sit cognomen *Pitholaum* nostro loco restituere; sine hoc titulorum testimonio res prorsus in dubio habenda est. Schanzius (*Röm. Litteraturgesch.* I 2^3, p. 119) Hertzium secutus *L. Voltacilius Pitholaus* edere non dubitauit. Animaduertendum est codices **O W** in indice *plut'* exhibere, quod Hieronymianae lectioni *Plotus* propius accedit, sed probabilius mihi uidetur *plutus* in **O W** e *pilutus* corruptum esse. Hertzius illum M. Voltacilium a Macrobio citatum non nostrum rhetorem fuisse, sed quendam cognatum, cuius mentio apud Suet. *Caes.* 75, 5 fit, existimat. Mihi in mentem uenit corruptelam in Suetonianis codicibus in illo praenomine *L.* latere posse; et Suetonium non *L. Voltacilius* sed *Voltacilius* scripsisse, *Voltacilius* autem in *L. Oltacilius* corruptum esse; nam *L. Oltacilius* in textu codicis Hersfeldensis fuisse meliores libri arguunt. Sed huic opinioni *L. Voltacilius* in indice repugnare uidetur. Exemplum litterae *L* in *V* corruptum praebet codex **H** c. 13 (p. 110, 21) (u. supra p. 83) et contrarius error facile fieri poterat.

CAPVT IIII

De Familiae Y tribvs Stirpibvs $\alpha\ \beta\ \gamma$

I. Qvaedam Discrepantiae inter Familiae Y singvlas Stirpes ad Lectiones dvplices in Hersfeldensi Codice Referendae demonstrantvr. Nonnvllae Corrvptelae sanantvr.

Alter codicis Hersfeldensis apographon, quod **Y** appello, ut saepius iam dixi, tres procreauit filios, quos $\alpha\ \beta\ \gamma$ nomino, qui omnes ita ut progenitor eorum perierunt. Nepotes et pronepotes huius codicis **Y**, non est infitiandum, diuersissima testimonia praebent, sed non solum discrepantias enumerare oportet, sed multo magis decet indolem earum discrepantiarum examinare. Peculiares igitur lectiones unius cuiusque harum stirpium eius esse generis mihi uidentur ut perraro Hersfeldensis codicis memoriam reuocent, sed fere omnes ad interpolationes et errores, et rarius quidem ad felices coniecturas singulorum librariorum referendae sint. Sed haec memoriae diuersitas nonnumquam lectionibus duplicibus, quae in Hersfeldensi codice fuerunt, debetur. Tales locos in tabulas ita contuli ut eae uarietates quas Hersfeldensi codici attribuo media columna ubique contineantur. Non ignoro complures harum diuersitatum in ipso codice **Y** oriri potuisse, sed, cum hoc nullo certo iudicio statui possit, tutius uisum est omnes uelut ex Hersfeldensi profluentes indicare. Non est putandum utrasque lectiones in Hersfeldensi codice semper exscriptas esse, sed potius tales diuersitates simplicibus litteris aut syllabis supra uersum uel in margine scriptis notatas esse.[1]

		Y	*Hersfeld.*	X
c. 3, p. 102, 12				
	α	panasag$\overset{\text{sacis}}{\text{a}}$cema **N**	?[2]	panosagacema **O**
		pansa g$\overset{\text{sâs}}{\text{a}}$cema **G**		panosagecema **W**
		pansagasans$\overset{\text{c}}{\text{e}}$ma **I**		
	β	panosa gacema uł		
		panosa/sagâ[3] **B**		
		panosagacema **D L**		
		Panosag$\overset{\text{ł sagâc}}{\text{a}}$cema **V**		
	γ	panosagacema **M**		
		pasiosaga$\overset{\text{.i.sagacê}}{\text{t}}$ema **K**		

[1] Vide supra p. 72.

[2] Vide supra p. 76 adn. 108.

[3] Vtraque lectio in textum accepta.

		Y	*Hersfeld.*	X
		p (*lacuna decem fere litt.*) **H** panasagacicon **U** panosagatema **C Δ** Panosgarema **Q**		
c. 7, p. 106, 6				
	α	$\overset{hic}{\text{hoc}}$ **N** $\overset{o}{\text{hic}}$ **G** hic **I**	hoc: hic	*om.* **O** hoc **W**
	β	hoc **B V L** *om.* **D**		
	γ	hic ω hoc[4] **Q**		
c. 9, p. 107, 19				
	α	palli$\overset{e}{\text{a}}$ti **N** palliati **G** palleati **I**	palliati: pallenti[5]	pallenti
	β	ł est paleati ac palliati **B** palliati **D** $\overset{pe}{\text{palliati}}$ **V** palliati **L**		
	γ	palleati **M K C Δ** palliati **H Q** *omis.* **U**		
c. 10, p. 108, 1				
	α	n$\overset{a}{\text{o}}$tus **N** notus **G** natus **I**	notus: natus	natus
	β	nominatus **B** natus **D** $\overset{\sim a}{\text{notus}}$ **V** notus **L**		
	γ	natus ω nactus **K** *om.* **U Δ**		
c. 11, p. 109, 14				
	α	$\overset{is}{\text{inscripsit}}$ **N** Is scripsit **G** Inscripsit **I**	inscripsit: is scripsit	Inscripsit[6]
	β	Inscripsit*; in uersu sequente inter* pro-		

[4] Ex **L** uel Pontani libro acceptum. Vide infra p. 180 sq.

[5] Haec uarietas potius quam *palliati: palleati* Hersfeldensi libro assignanda mihi uidetur. Ad alterius lectionis *pallenti* memoriam conseruandam librarius **Y**, nisi fallor, litteram *e* supra *palliati* scribere satis habuit. Similiter c. 14 (p. 112, 2), ubi duplicem lectionem *non possit: possem* uel Hersfeldensi codici uel codici **Y** uindico (uide supra p. 78 sq.), in codice **V** poss$\overset{i}{\text{e}}$m inuenitur, nihil ad uerae lectionis *non possit* memoriam reuocandam nisi unica littera *i* suprascripta relicto.

	Y	*Hersfeld.*	X
	bantur *et* Lydia *altera lectio in textu* ł is B Inscripsit D In(ł is)scripsit V Is scripsit L		
γ	is scripsit M Inscripsit *ω*		
p. 109, 15			
α	Lydia (lycida) N lydia G I	lydia: lycida	lydia
β	lydia ł B[6] Lydia D L Lydia (ł lycida) V		
γ	Lydia (lidia C)		
c. 11, p. 110, 5			
α	calculi et libra N I calculi et‸ libra; *in mg. m.2* una G	calculi selibra: calculis et libra[7]	calculis & libra (calculis *in* calculi *corr. m.2* W)
β	calculi et selibia B calculi selibra D V cauliculi selibra L (*Pontanus*)		
γ	calculi et selibra M calculus et selibra Q catulli et libra K calculis et libra H U calculus et libra C Δ		
c. 14, p. 111, 13			
α	Craticus N I creticus G	criticus: creticus	criticus
β	criticus B V creticus D cr(e)iticus L		
γ	criticus *ω* triticus K Δ criticus *ex* triticus C		

[6] Vocula *et* quae sequitur omissa est in B. Illud *l'* indicare uidetur librarium indoctum alteram lectionem in textu scribere coepisse.

[7] Varietas propter scripturam continuam exorta. Vide supra p. 70 sq.

		Y	*Hersfeld.*	X
c. 14, p. 111, 18				
	α	molliti$\overset{a}{\text{e}}$m N mollitiê[8] *in marg. m.2* mollĭtiâ G mollitiê I	mollitiam: mollitiem	mollitiam
	β	molitiam B mollitiem D molliciam V L		
	γ	mollitiam M K Q molliciam C molliciem H U mollitiem Δ		
c. 15, p. 112, 10				
	α	$\overset{\text{curchonem}}{\text{lurchonem}}$ N cŭrchonem *in text.; in mg. m.2 ut uid.* lŭrchonem G curchonem I	lurchonem: curchonem	lurconem O lurchonem W
	β	surconem B Lurchonem D V lurconem L		
	γ	curchonem M K C Δ Q lurconem H U		
c. 17, p. 113, 17				
	α	catulinae N I Cat$\overset{i}{\text{u}}$linę G	catulinae: catilinae	Catiline
	β	Catiline B Catilinae D Catuline V cat$\overset{u}{\text{e}}$linę L		
	γ	Catuline M Catiline K Catulinę H Cathilinę U catilinae C Catelinae Δ Catilinae Q catilianae F		
c. 18, p. 114, 9				
	α	$\overset{\text{hanc}}{\text{hoc}}$ N hanc G I	hanc: hoc	hoc

[8] *mollitiê* ex *mollitiẽ* corr. ut uid.

	Y	*Hersfeld.*	X
β	hoc **B** $\overset{\text{ꝑ hanc}}{\text{hoc}}$ **V** hanc **D L**		
γ	hanc **H U** h' **M** hoc *ω*		
p. 114, 11			
α	nota **N** $\overset{\text{u}}{\text{n}}$ota **G** uota **I**	nota: uota	nota
β	nora (*ut uid.*) **B** uota **D** nota **V L**		
γ	nota *ω* uota **H U**		
c. 19, p. 114, 16			
α	Aphrodisius **N** aphrodisius **G I**	aphrodisius: aprodisius	aphrodisius
β	aprodisius **B** aphrodisius **D L** $\overset{\text{ꝑ pro}}{\text{Aphrodisius}}$ **V**		
γ	Aphrodisius *ω* aprodisius **K** afrodisius **U** Amphrodisius **Δ**		
c. 20, p. 115, 3[9]			
α	Hyginius **N** hyginius (-y- *supra* -i- *m.2 ut uid.*) **G** $\overset{\text{h}}{\text{i}}$ginius **I**	hyginus: phryginus	phyginus **O** phryginus **W**
β	hyginus **B** higinus **D** $\overset{\text{ꝑ phryginus}}{\text{Hyginus}}$ **V** hi$\overset{\text{fri}}{\text{ginus}}$ (fri *perleuit m.3*) **L**		
γ	phryginus **M Q** phriginus **H Δ** Phriginus **U** priginus **C** Jgiginus **K**		
c. 25, p. 123, 1			
α	syntaxis **N G** sintaxis **I**	syntasis: syntaxis	syntasis **O** syntaxis **W**

[9] In indice (p. 98, 18): *phriginus* **W G I B V C** *phyginus* **O** *friginus* **L** *phriginus* e *phryginus* corr. ut uid. **M** *phryginus* **Δ**.

	Y	*Hersfeld.*	X
β	syntasis **B** syntaxis **D V** synth^{ax}esis **L**		
γ	sintaxis **M** Sintesis **K** synthesis **H** sinthasis **U C** Sinthesis **Δ** Synthasis **Q**		

His quoque in locis, quamquam binae lectiones nullo in codice inueniuntur, diuersitates eadem ratione meo iudicio explicandae sunt; siquidem in familia **X** codex **O** cum aliis, codex **W** cum aliis familiae **Y** libris facit:

	Y	*Hersfeld.*	X
c. 15, p. 112, 13			
α	perceptisque **N** praeceptisque **G I**	perceptisque: praeceptisque[10]	perceptisque **O** praeceptisquė **W**
β	praeceptisque **B** perceptisque **D V L**		
γ	praeceptisque (perceptisque *e* praeceptisque *corr.* **Q**)		
c. 21, p. 116, 7			
α	togatorum **N I** togatarum **G**	togatarum: togatorum	togatarum **O** togatorum **W**
β	togatarum		
γ	togatarum **M U** togatorum *ω*		
c. 25, p. 120, 9			
α	intrare **N** **G***m.2.* ita re **I**	itare (*uel* ita re*?*): intrare	intrare **O** ita re **W**
β	itare **B V L** intrare **D**		
γ	itare		
c. 25, p. 123, 1			
α	graeci	graece: graeci	greci **O**[11] graece **W**
β	grece **B V** graece **D L**		
γ	graece **M Q** graeci (*uel* greci) *ω* *omis.* **Δ**		

[10] Vide infra p. 115.

[11] Perperam Reiff. in apparatu et *Quaest. Suet.* p. 416. Vide supra p. 55.

In dubio haec uidentur:

		Y	*Hersfeld.*	X
c. 6, p. 105, 8				
	α	duårum[12] N G duorum I	diuarum: duarum	duarum
	β	diuarum B D L di-ν uarum V (duarum suprascr.)		
	γ	duarum ω diuarum Q		
		Y		
c. 17, p. 114, 1				
	α	parieti N perite (ν parieti suprascr.) *lectio suprasc. m.2 ut uid.* G perite I	parieti: perite	parieti
	β	parieti		
	γ	parieti M K pariete Q perite ω		
c. 24, p. 118, 11				
	α	omnes N se I se *m.1; del. et in marg. add.* omnes *m.2* G	omnes: se	omnes
	β	se B omnes D V L		
	γ	se ω omnes[13] Q		
c. 28, p. 124, 14				
	α	Nuncino N nuncino G nũtino I	nučino:[14]mancino	nucerino
	β	nucerino B nuncino D Nuncino V mãcino L		
	γ	Mancino M K nuncino H U C nuntino Δ -minemo Q		

His lectionibus duplicibus perlustratis primo obtutu plerumque apparet utrae accipiendae utrae respuendae sint. Non tamen alienum de nonnullis fusius disserere uidetur.

C. 7 (p. 106, 6) *hoc: hic.* Ad hunc locum corruptissimum sanandum Vahleni emendationem, quam in ora eius exemplaris Reifferscheidiani repperi,

[12] Vide infra p. 108 et adn. 52.
[13] Ex L uel Pontani codice acceptum. Vide infra p. 180 sq.
[14] Vide supra p. 62 sq.

propono. Sic legendum mihi uidetur: *in quibus et suum alicubi reperiri nomen <ut> auctoris*. Quod certe optimam sententiam praebet neque ita longe a fide codicum abhorret. Nam tale quid in antiquissimis libris pono: *VTAVTHŌIS*. Si quo casu illa *A* delapsa est, facile perspicitur *VT* quoque delapsurum fuisse, atque illa *S* desinens facile in *C* corrumpi potuit. Compendi signo etiam omisso hoc relinquitur *VTHOIC*. Corrector aliquis in *HOIC* uel *hoc* uel *hic* perspicere sibi uisus est, unde exoritur lectio duplex *hic: hoc*.

C. 11 (p. 109, 14) *Inscripsit: Is scripsit*. Neutra lectio edenda est, cum satis constet hunc errorem e uulgari pronuntiatione *iscripsit* pro *scripsit* exortum esse, quod Reifferscheidius etiam in *addendis* p. VIIII recognouit. Similis est error c. 3 (p. 101, 15), ubi codices *Istilo* (*istilio* **B** *Jstilio* **H** *stillo* **K** *stilo* e coniect. **Q**) pro *Stilo* exhibent. Vide Grandgent, *Vulgar Latin* p. 97-98.

C. 18 (p. 114, 9) *hanc: hoc*. Reifferscheidius *hoc* praetulit et interpolationem *coniugium* pro *coniugio* introduxit; nescio quo pacto, cum illius "dux certissimus" Vaticanus **V** utramque lectionem *hoc: hanc* proferat. Cum utraque lectio codici Hersfeldensi uindicari possit, nullam causam uideo cur *coniugio hanc* scribere non liceat, quae mea quidem opinione longe praestantior est lectio. Vahlenus[15] et Ihmius [16] pro *coniugio hanc* statuerunt.

C. 25 (p. 123, 1) *syntasis: syntaxis*. Hoc animaduertendum est *synthesis* leuissima auctoritate niti, nam sine dubio in **L** Pontani coniectura est, in **H** (**P**) autem coniecturae eius uiri docti qui codicis **H** archetypum exarauit[17] attribuendum est. Aldus et omnes ante Oudendorpium Graece συντάξεις ediderunt. Oudendorpius partim Schotti coniectura, quae nisi fallor codicis **P** testimonio[18] nititur, partim ex adnotatione ad marginem ultimae editionis Casaubonianae adtexta, quae et ipsa ad eundem **P** referenda est, συνθέσεις edidit. Wolfius etiam eodem codice **P** ab ipso collato alterum testem huius lectionis reperire sibi uisus est. Codex **L** a. 1841 a Trossio in lucem prolatus et ipse *synthesis* exhibens hanc lectionem confirmare olim uidebatur. Sed etiamsi *synthesis* codicum auctoritatem haberet, idoneam sententiam inde numquam efficeres. Gronouius (apud Graeuium) θέσεις uoluit, Senec. *Contr.* I praef. 12 citans: "Declamabat autem Cicero non quales nunc controuersias dicimus, ne tales quidem quales ante Ciceronem dicebantur, quas thesis uocabant." Itemque Cic. *Top.* 21 (79): "Quaestio-

[15] *Sitzungsberichte d. Berl. Akad.* 1904, p. 1070.
[16] *Op. cit.* p. 551.
[17] Vide infra p. 158.
[18] Vide Rothium, *praefat.* p. LIX adn. 36.

num duo genera: alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod ὑπόθεσιν Graeci, nos causam: infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus nominare." Volkmann[19] ὑποθέσεις huic loco restitui oportere censet. Reifferscheidius ad *syntaxis* reuertit, quod hoc loco sensu caret. Nonne uerum in altera codicis Hersfeldensis lectione *syntasis* inueniendum est? Nam Graece σύντασις propria significatione eadem est quae Latine *contentio*. *Contentio* autem saepius pro *causa* uel *controuersia*[20] usurpatur. Ego *syntasis* edere malim quam illud ineptissimum *syntaxis* suscipere, aut tam longe a fide codicum discedere ut θέσεις uel ὑποθέσεις scribam. Sed totus locus corruptissimus uidetur. Nam quaenam satis idonea sententia ex *appellationes Graeci* uel *appellationes Graece* efficienda sit non uideo. Reifferscheidius Schotti (L. IV *Obs. Hum.* c. 7) coniecturam *appellatione Graeca* edidit, quae sensui congruit sed in fidem codicum uim facit.[21]

C. 28 (p. 124, 14) *nučino: mancino*. Wissowa (p. XX) *mancino* in **L** Pontani diuinationi attribuit; quam opinionem eadem lectio in **M K** perdubiam efficit.[22]

II. De Stirpe *a*

1. Lectiones hvivs Stirpis nec non Codicis N propriae exhibentvr

Stirpis *a* tres codices hodie sunt superstites, quorum unus Neapolitanus (**N**) tamquam filius, duo ceteri Gudianus (**G**) et Vaticanus 1518 (**I**) nepotes ipsius codicis *a* haberi possunt. Hanc stirpem pristinam Hersfeldensis codicis inscriptionem conseruare supra[23] iudicaui. In Neapolitano grammaticorum rhetorumque indices deficiunt; in Gudiano et Vaticano autem duabus columnis iuxta positis et textui praemissis totius libelli inscriptione praecedente continentur. Grammaticorum index inscriptionem *Grammatici* (*Gramatici* **I**), rhetorum index inscriptionem *Item rhetores* (*rethores* **I**) praemissam habet. Quae inscriptiones Hersfeldensi libro uindicari possunt, nam illud *Item* uix additicium esse potest, cum in familia quoque **X** et in **B V** inueniatur.[24]

[19] *Rhetorik der Griechen u. Römer* p. 35.

[20] Vide *Thesaurum Linguae Latinae* s. u.

[21] Vide supra p. 55.

[22] Vide supra p. 75 ad *satti*.

[23] Vide supra p. 40; p. 61 sq.

[24] In familia **X** grammaticorum index nullam inscriptionem habet; rhetorum index eandem atque in stirpe *a*. De indicibus in stirpe *β* uide infra p. 116.

Haec fere bene correxit librarius *a*, nisi forte in c. 17 (p. 113, 18) et c. 22 (p. 116, 16) pristinas Hersfeldensis codicis lectiones uidere malis:[25]

	a (N G I)	ω
c. 1, p. 100, 7	annotatum (=adnotatum[26] B)	adnotum ω $\overset{+}{\text{at}}$ (at *inducto*) notum L aduotum D ad notum C notum U Δ
c. 3, p. 102, 6	Posthac	post hoc ω post hec B U post haec H post hos L (*Pontanus*)
c. 11, p. 109, 12	siren (=L*m.3*)	syren ω (latinas) irem O (latinas) item W
c. 14, p. 111, 9	Dolabellam[27] (=V L K)	Dolobellam
c. 17, p. 113, 18	palati (=V C)	palatii
c. 17, p. 113, 20	hemicyclium N G (=V) hemicidium I	hemyciclium O hemycyclium W hemiciclium B hemiciclum D L Q emicyclium M emiciclium K hemyclium H Emiciclum U hemiculium C hemiculum Δ Emiculium (?) F
c. 22, p. 116, 16	futurum certe iam inde. Mentitur[28] (=O V)	futurum:[29] certe iam inde mentitur (*om.* inde D) D L futurum certe: jam inde mentitur C Δ futurum certe iam inde mentitur (metitus U) ω
c. 22, p .116, 19	gallus[30] (=L H U Q)	Gallius
c. 28, p. 124, 13	epidii[31] (=C Δ L *m.3*)	Epidici

Haec autem temere uel neglegenter mutauit librarius *a*:

	a (N G I)	ω
c. 1, p. 100, 5	quid$\overset{a}{e}$m N quid$\overset{e}{a}$m G quidem I	quidem[32] (*om.* Δ)

[25] *Proprias* lectiones duco eas quae in hac stirpe separatim exortae uidentur, etiamsi in uno et altero codice aliarum stirpium inueniuntur. Codices cum N G I consentientes a dextra uncis inclusos indicaui. Paruas discrepantias inter ceteros, quorum lectiones dextra columna continentur, indicare non semper operae pretium uisum est. De bonis lectionibus in N et Gm.2 e familia X sumptis uide supra p. 87 sq.

[26] Vide supra p. 66.

[27] *Dolabellam* ex *Dolobellam* corr. I.

[28] Punctum deest in G. Littera *m* minuscula in O V. Semicolon pro puncto in O.

[29] Punctum in L.

[30] *Gallus* N.

[31] *Epidii* N.

[32] Corruptum ex *qui idem*.

	a (N G I)	ω
c. 1, p. 100, 6	utranque[33] linguam (= U)	utraque lingua
10	aeditos N ęditos G I (= C)	editos (edito W)
18	acr^e^oasis N G acreoasis[34] I	acroasis (*om.* U)
c. 2, p. 101, 9	Lęneus N G leneus I	leneus uel lenęus (*uide supra p. 48*)
c. 3, p. 102, 8	de ea re	de ea
p. 103, 4	deficeret[35] (= Q)	deficeretur
c. 4, p. 103, 17	absolutum	absolute
25	in tam[36]	tam O W H iam tam B M K C Δ iam tum U iam D V L Q
c. 5,‖ p. 104, 14	Seruius[37]	Seuius *uel* Saeuius (Aeuius K Neuius U)
18	Seruius (Saeuius *in mg.* G*m.2*)	Seuius *uel* Saeuius
c. 5, p. 104, 19	*id.*	*id.*
c. 6, p. 105, 8	du°arum N du°arum *e* duorum *correctum; o supra scripsit m.2 ut uid.* G duorum I	diuarum[38] B D L Q diuarum (*supra* ꝩ duarum) V duarum ω
c. 7, p. 105, 12	grapho[39] (Grapho N)	gnipho (gnifo O B L U F giinpho W)
15	quae[40] equidem[41]	quod equidem (qui equidem B quod quidem U)
c. 10, p. 108, 8	n^a^otus (*supra* ꝩ nominatus) N notus; *in mg. m.2* nominatus G natus I	nominatus
c. 11, p. 109, 5	bursini (Bursini N)	Burseni (ụburseni[42] W bursem C bursen Δ)

[33] *utramque* I.

[34] Perperam Reiff. in apparat.

[35] *defficeret* I.

[36] Vide supra p. 83.

[37] *SERVIVS* G *Seruius* in indice (p. 98, 3) G I.

[38] Vide infra p. 139.

[39] Sic in indice (p. 98, 5) G I.

[40] *Quę* G *quę* I.

[41] *aequidem* N *quidem* G (perperam Reiff.).

[42] Vide supra p. 75.

	a (N G I)	*ω*
6	cuius (= U)	cui
8	Silani (silani G)	Syllani (Sillani K syllam C)
c. 11, p. 109, 10	uel ex his[43]	uel his (uel *om.* B U)
12	κατὰ Γραμματι κοῦς Cato grammaticus (*litteris Graecis in mg. repetitis*) N κατὰ Γραμματικοῦς Cato grammaticus G *Graeca desunt in* I	*Graeca desunt*
c. 12, p. 110, 16	Silę (silę G)	syllae (*u.* Syllae *u.* sylle *u.* Sylle) (syle B)
19	sila (Sila I)	Sylla (Silla Q)
c. 13, p. 110, 21	Straberius	Staberius *uel* L Taberius[44]
p. 111, 3	silanis (Silanis I)	Syllanis (*uel* syllanis) (Sillanus Q)
c. 14, p. 111, 8	Marci N G mãci I	M. (magister L Q)
c. 14, p. 111, 13	Craticus N craticus I creticus[45] G	criticus (cri(e)ticus L creticus D triticus K Δ criticus *ex* triticus C)
c. 14, p. 112, 2	possum (nô possit) N possum (nô pos-) (possũ) G nô possit possum I	non possit *uel* possem *uel* possim *ω*[46] possum U
c. 15, p. 112, 10	popinionemque N G popimonemque I (= B)	popinonemque *ω* popinomenque W pompinonem Δ pompinonem quae C popi (*lacuna sex fere litt.*) q; K
13	subrectus	subreptus *ω* surreptis O W surreptus D surreptus *in* surreptis *mut. m.3* (?) L
c. 17, p. 113, 20	parte fori (= F)	fori parte (foro parte B)
c. 18, p. 114, 3	ordine (= Δ)	ordinis (orđ K)
14	ad Q. atque Sexti N G ad .q. atque sexti I	ad Q. Sexti (*uel* sexti) B V L ad .Q. septimi D ad sexti M K in sexti H U Sexti (ad Q. *om.*) C Δ atque sexti[47] O W
c. 19, p. 115, 1	libr(o)is N libros (= K Q) G I	libris

[43] *uel ex hiis* I.

[44] Vide supra p. 83.

[45] Vide supra p. 97.

[46] Vide supra p. 78.

[47] Vide supra p. 63.

	a (N G I)	ω
c. 20, p. 115, 3	Hyginius **N** hyginius (y *supra* i *m.2 ut uid.*) **G** ihgi-nius **I**	*uide supra p. 99*
c. 23, p. 117, 9	Marcum (=Δ)	M.
p. 118, 1	ędidisse (=**C**)	edidisse
c. 24, p. 119, 7	aedidit **N** (=**C**) ędidit **G I** (=**H**)	edidit
c. 25, p. 119, 11	nec **N I** ne[48] **G**	ne cui (nec cui **M**)
c. 25, p. 119, 13	*caput a ceteris distinctum post* subiciam **N G I** *inscriptio* AEDICTVM CENSORIVM **N** edictum cẽſorⁱ,ũ **I** *nulla est inscriptio sed uerba usque ad* senatum *litteris maiusculis* **G**	*nulla est inscriptio. caput a ceteris distinctum in* **W**; *caput minio indicatum in* **M**; *nulla capitis distinctio in* ω
p. 120, 12	in iis[49] (qui eo uenire)	iis
p. 121, 1	declamauit (= **D C** Δ declāmauit **B**)	declamitauit (clamitauit **U**)
18	breuiter atque	breuiter ac (breuiter & Δ)[50]
c. 27, p. 124, 1	L. Octacilius **N I** (=LVCIVS Octacilius **D**) L. OCTACILIVS **G**	*uide supra p. 93*
c. 29, p. 125, 4	sotii **N** soci **I** ioci **G**	ioci ω loci **B** coti Δ **C** *m.1 omis.* **K**
8	quanta . . est data?	quanta . . est data (data est: **O**; *uirgula post* data **D V M**; *punctum in* **L**)
c. 30, p. 127, 1	excanduisse ut[51]	excanduisset ut **O W B D** excanduisse & ut ω excanduisse ęt ut *corr. m.3* **L**

[48] *cui* omis.

[49] Perperam Reiff. in apparatu.

[50] *ac* in **L** ut in ceteris; perp. Reiff. in apparatu.

[51] Perperam Reiff. in apparatu.

Quo pacto eae duplices lectiones, quas codici Hersfeldensi uel saltem apographo Y attribuo, his in libris exhibeantur, e tabulis (p. 95 sq.) apparet. Sunt autem nonnullae lectiones duplices[52] quarum nulla uestigia nisi in hac stirpe inueniuntur. Has e codice *a* quam ex Y aut Hersfeldensi originem ducere malo.

Codex N, quamquam optimus huius stirpis habendus est, propriis uitiis minime caret. Librarius qui hunc codicem exarauit quandam antiquitatem, uel id quod ei antiquitas uidebatur affectare uoluit, ut litterarum formae et tales scripturae quales c. 4 (p. 104, 4) *obmiti* (=K), c. 20 (p. 115, 12) *substentatum* (=K U); c. 24 (p. 119, 3) *substineret* (=K H C); *quom* saepissime pro *cum*; *ae* pro *e* ut c. 3 (p. 102, 14) .*ęq*.; c. 4 (p. 104, 1) *aeloquentiam* (=W C Q); c. 7 (p. 105, 15) *aequidem*; c. 21 (p. 115, 15) *aeducatoris*, et passim, demonstrant.[53] Huius codicis lectionum peculiarium unam solum bonam inueni: c. 26 (p. 123, 14) *hordearium*[54] (=H). Lectiones propriae codicis N quae sequuntur eius librarium indoctum fuisse satis demonstrant. Lectiones quae ad orthographiam pertinent fere neglexi.[55]

	N	G I ω
c. 1, p. 100, 11	poste prioris	posterioris (posterius K)
c. 2, p. 100, 18	*om.*	tempus
c. 3, p. 101, 14	*om.*	Aelius *uel* Elius (LĘlius U)
p. 102, 9	uideantur	tradantur (traduntur D F)
14	Clauino	caluino (Caluino V caluuino K Caluinio Q)
c. 4, p. 104, 1	ipsi	ipsos B D V L Q ipsis (ipiūs I romanis K) ω
c. 7, p. 105, 14	Scytobarchionis	*uide infra* p. *117*
c. 11, p. 109, 19	sed in summa dictinna [56]	diana G D *om. lacuna sex fere litt. relicta* I dictinna O W L U C Dyctinna V M dictina B Δ dictimia K dictyna H Dictina P doctrina Q
20	*om.*[57]	sed in summam (sumā L) ω sed in summa D H Δ
c. 13, p. 111, 3	libros (=Q)	liberos
c. 14, p. 111, 9	*om.*	haec (hec O V K hoc B Δ)

[52] P. 100, 5 *quidem* (a superscr.); p. 100, 18 *acroasis* (e superscr.); p. 105, 8 *duarum* (o superscr.); quae omnes supra expositae sunt. De *notus* (*l' nominatus* superscr.) u. infra p. 113.

[53] Vide supra p. 67 sq.

[54] Vide infra p. 118. C. 21 (p. 115, 16) N cum B L Δ *Maecenati*. Vide infra p. 110.

[55] De contaminatione huius libri e familia X uide supra p. 87 sq. et infra p. 113 sq.

[56] Verba nescio quo pacto e textu extrusa ut lectio uarians pro *dictinna* capta sunt.

[57] Vide supra adn. 56.

	N	G I ω
c. 17, p. 114, 1	inscios (= B)	incisos (inciso D)
c. 18, p. 114, 5	*om.*	circa
8	*totus uersus deest*[58]	
c. 22, p. 116, 10	adaduersarios	ab aduersario (ad id sar̊. s̊r C ad id s̊r Δ)
c. 23, p. 117, 3	praecipuum	principem (primcipem C)
6	capiebant	capiebat
c. 24, p. 118, 6	Berities	Berytius G B V M H Q berit^{i}us I beritius L K C Δ bertius O bertecius W berritius D betytius U
6	centuriam	centuriatum (conturiatum I centumuiratum U)
9	omni	omnino (*om.* U -no *in ras. m.2 ut uid.* G)
p. 119, 7	reliqui	reliquit
c. 25, p. 120, 1	Pompeius	Pomponius (ponponius I Pom. U ponī K)
p. 121, 7	re	ne (nec H)
8	emisse	omisisse (missis[59] W omisit B obmisisse K omnisisse C commisisse Δ)
p. 123, 3	extēt	extet (extat H)
c. 30, p. 125, 19	audienti (= Q)	audenti (audēt I audens K)
p. 126, 7	sectatus	sectatur (sectaretur U)
c. 30, p. 126, 9	inluce	in lite (in litem[60] W militem O)
15	porcos	procos I K procos. G procons. M H personalem D V L Q proconsulem ω
p. 127, 5	*om.* (= D)	ob uitium (*uel* ob uicium)

2. Codex aliqvis deperditvs *ν* inter Codices G I et Codicem *a* intercedere demonstratvr

Codices Gudianum et Vaticanum 1518 eundem habuisse patrem,[61] qui fuerit ipse Neapolitani frater, lectiones infra exhibitae satis demonstrant. Duas modo bonas lectiones horum codicum peculiares animaduerti: c. 9 (p. 107, 4) *neglegentia* pro *negligentia* in ceteris; c. 10 (p. 108, 8) *Lęlium* (= L

[58] Hoc non adnotat Reiff. in apparatu.

[59] Vide supra. p. 52.

[60] Vide supra p. 43.

[61] *ν* in stemmate.

M U F) pro *Lelium*. Codex G etiam post correctoris manum expertam has fere lectiones proprias cum I conseruat:

	ν (G I)	N ω
c. 2, p. 101, 2	diligenter G diligent' I	diligentius
c. 3, p. 102, 12	pansag$\overset{\text{sās}}{\text{a}}$cema G pansagasan$\overset{\text{c}}{\text{s}}$ema I	*uide supra p. 95*
c. 9, p. 106, 19	app$\overset{\times}{\text{e}}$rituram *eadem nota in marg. inc. man.* G aperituram I	apparituram ω appituram B appituram V apud preturam H appituram C prȩturam Δ aperturam Q *om.* U
c. 14, p. 111, 18	nostro	nostri
c. 20, p. 115, 4	*omis.* (=H U C Δ Q)	puerum
6	grammaticum quendam G gramaticum quedā I	grammaticum (grā cū B)
c. 21, p. 115, 16	moecenati G Moecenati I	Maecenati N B L Mecenati ω mecaenati W Mȩcenati Δ micenati H
p. 116, 3	LX^{m}	sexagesimum N O W B D V L Q LX^{mum} M .LX. ω
c. 26, p. 123, 14	hordeam	hordearium N H hordiarium W ordiarium O horditarium B ordinarium D L hordinariū V hord$\overset{4m}{\text{ea}}$ M $hordear^{m}$K C ordeanū U ordeare Δ hōdear Q
c. 28, p. 124, 11	Carnutius	Cannutius (canutius O B)

Plures sunt ei loci, ubi Gm.1 olim cum I faciebat, secunda manus ea uitia sustulit:[62]

	G	I
c. 2, p. 100, 20	imitā/d u m (du *in ras. m.2 supra* -tione *ut uid. uirgula supra* a *m.2*)	imitatōe;
c. 7, p. 105, 20	prim‸; *in marg. m.2* ‸um (-m *in text. in ras. supra* -us)	prius (=Y)
p. 106, 1	dicitur *del. et* etiam *supraser. m.2*	dicitur

[62] Correctiones in G a secunda manu factae sunt. Ceteri codices cum correcta lectione in G fere consentiunt. Codices cum I et Gm.1 conspirantes uncis inclusos indicaui.

	G	I
c. 11, p. 109, 17	cura labor[63] (ν labor, ν liber)	labor (cura *om.*)
p. 110, 15	uenit *del. et* iecur *in marg. add. m.2*	uenit
c. 12, p. 110, 18	nonnunquam *in* nunquam non *corr. m.2*	nōnūq*uam* (= U)
c. 14, p. 111, 12	aristarcus (h supra)	aristāc' (= U F)
c. 15, p. 112, 14	& liberalibus (& *erasit m.2*)	& liberalibus (= U)
c. 16, p. 113, 2	deinde (-in *ex* m *corr.;* de *in ras. supra* -um *m.2*)	demum
9	epirrota (*prior* -r- *eras.*)	epir̃ota
c. 22, p. 116, 18	eum (ν olim) (olim *m.2*)	eum (= U)
c. 23, p. 117, 14	sibi *om.* G*m.1 add. in mg.* G*m.2*	*omis.*
p. 117, 18	proūincialium *in mg. m.2* prōmercaliū	prouincialiū
c. 24, p. 118, 11	se *in text. del. in mg. add.* omnes *m.2*	se (= B γ)[64]
p. 119, 2	aliquorum *in* aliquot *mut. m.2*	aliquor*um*
c. 25, p. 120, 3	interiecto (-i- *ex* -r- *corr.;* -ec- *in ras. supra* -up-)	int'rupto (= H U C Δ Q)
c. 25, p. 121, 10	aediderunt . . *in lacuna m.2*	*om. spatio uacuo sex fere litt. relicto*
13	processerint *e* processerunt	processerunt (= H U C Δ processer ∓ K)
15	‸erudierunt (erudierunt subpunct.) *in mg. m.2* exercuerunt	erudierunt

C. 21 (p. 116, 4) librarius G haud inepte sed dubito an uere[65] *inscribuntur* (≐ L U) pro *scribuntur* posuit. C. 9 (p. 107, 19) G et L soli *marmoreo* (a supra) os-

[63] Lectio genuina *cura liber.* Perperam Reiff. in apparatu.

[64] Vide supra p. 101.

[65] Nolo *inscribuntur* cum Vineto Casaubono omnibusque sequentibus edere, cum persuasum habeam *scribere* nonnumquam ab antiquis eodem significatu quo *inscribere* usurpatum esse. C. 6 (p. 105, 7) omnes codices nostri *scripsisse* testantur, quod Wolfio Reifferscheidioque in *inscribere* mutare uisum est. Charisi codices, I p. 127, 17, haec proferunt: "Ateius Philologus librum sic edidit scriptum, 'An amauerit Didun Aeneas.'" Hic quoque editores temere, ut mihi uidetur, *inscriptum* restituerunt. Neque longe diuersa est sententia apud Gellium

tendunt, quod ad ipsum Hersfeldensem uix referri potest.[66] Item c. 4 (p. 103, 20) G *titulo*^{s} ostendit. Eodem loco codices **O W D** *titulo* recte exhibent, ceteri falso *titulos* (*titulis* Δ). Quamquam familiae **X** testimonio fretus *titulo* in Hersfeldensi libro fuisse credo, *titulos* in codice **Y** extitisse uidetur. Quod si uerum est, *titulo* in **G D** coniecturae attribuendum est. Quamuis pro certo diiudicari non possit, probabilius mihi uidetur secundam manum in **G** litteram *s* addidisse. C. 16 (p. 113, 6) *Vergilium*, et c. 23 (p. 117, 12), *Vergilio*, **G** ueram scripturam exhibet, illic cum **W**, hic etiam cum **W** et **V** consentiens. Multa alia librarius **G** temere immutauit, alia etiam neglegenter deprauauit:

	G	N I ω
c. 1, p. 100, 6	foris	forisque
c. 2, p. 100, 16	cum in regione (= U)	cum regione
c. 3, p. 102, 15	conductum ut	conductus *uel* conductos (conductum Q)[67]
p. 103, 3	Hic quidem docuit	Hic quidem
c. 4, p. 103, 18	existimant (= U)	existiment
p. 104, 10	grammaticę	grammatici **I B V** grammaticis ω
c. 9, p. 107, 11	cum in iudicio	cum iudicio
15	*omis.*	aetatis (erat is Δ *om.* U)
c. 10, p. 108, 16	sic philologus quod sane	quod sane (quid sane **B** *om.* U)
c. 11, p. 109, 19	diana (= U)	*om. lacuna relicta*[68] **I** *uide supra p. 108*
c. 15, p. 112, 7	fuit	fuerat
c. 17, p. 113, 10	dicendi (= W)	docendi
c. 21, p. 115, 17	*omis.*	est
c. 23, p. 117, 10	et secum	secum et (Sed cum et K)
c. 25, p. 119, 10	cum	quam (qua **B**)
11	ne	nec **N I** ne cui (nec cui **M**) ω
p. 121, 8	bis quoque antea	quoque bis antea
14	dicendi (= **O B** Δ)	docendi (docendi *e* dicendi *corr.* **C**)
c. 27, p. 124, 5	*omis.*	eius
c. 29, p. 125, 6	uelles	uellet (uelleret **D**)
c. 30, p. 126, 13	sua magna	magna sua (magna sui **D V L Q**)

XVIII 6, 3: "Ei libro titulus est ingentis cuiusdem inlecebrae ad legendum; scriptus quippe est: 'de loquendi proprietate.' "

[66] Litteram *a* suprascriptam induxit m.2, ut suspicor, in **G**. Praeter lectiones *inscribuntur* et *marmoreo*^{a} **G** cum **L** c. 30 (p. 126, 10) *optulisset* contra *obtulisset* in ceteris facit, sed nullum artius esse uinculum inter hos duos codices puto. Vide et p. 134 adn. 189.

[67] Vide supra p. 79 sq.

[68] Verbum *dictinna* in archetypo librorum **G I** omissum erat spatio uacuo relicto; **G** suo Marte suppleuit.

Quod ad alteram manum in Gudiano codice pertinet, quas lectiones e familia **X** manentes addiderit supra (p. 87 sq.) uidere potes. Eis locis ubi lectiones duplices in compluribus codicibus inueniuntur, quae primae manui quae secundae debeantur, supra (p. 95 sq.)[69] indicaui.[70] Altera manus in **G** non solum eas correctiones quas dixi fecit, sed etiam nonnulla errata codicis **G** propria correxit, ut c. 2 (p. 100, 13) *opinamus* in *opinamur* corr., (p. 101, 1) *aliorum* in ras. supra *amicorum* uel *animorum* ut uid., (p. 101, 13) *Vsus* in *usus* corr.; c. 7 (p. 105, 17) *gracę* in *graece* corr.; c. 14 (p. 111, 13) *hos* in text. omis. add. supra uersum; c. 15 (p. 112, 6) *ad tellurem* in *ad telluris* corr.; c. 20 (p. 115, 5) *& audiit & imitatus ē* omis. in text. add. in mg., *Cornelium*[71] scripsit in ras.; c. 25 (p. 122, 14) *cum* in text omis. add. supra uersum. Vnam emendationem de suo fecisse uidetur Gm.2: c. 11 (p. 110, 5) *una* margini adiecit signo inter[72] & et *libra* ad hoc notandum posito.[73]

3. Qvaedam Lectiones in N et Gm.2 e Familia X proflvxisse ivdicantvr

Nunc quaestio de fonte ex quo secunda manus in **G** hauserit, et altera illa indagatio ei coniunctissima, unde emanauerint eae lectiones familiae **X** propriae, quas inter familiae **Y** codices **N** et Gm.2 soli exhibent, instituendae sunt.[74] Primo causas adferam, cur Neapolitanum codicem contaminationem expertum esse existimem. Supra (p. 103 sq.) demonstrauisse mihi uideor codices **N G I** e communi archetypo *α* profluxisse. C. 10 (p. 108, 8), ubi ceteri libri *nominatus* recte ostendunt, **N** $\overset{\textit{ꝑ nominatus}}{\textit{n}\overset{a}{\textit{o}}\textit{tus}}$, Gm.1 *notus* (*notus* perleuit atque *nominatus* in margine addidit Gm.2), **I** *natus* testatur. Cuiuis apparet $\textit{n}\overset{a}{\textit{o}}\textit{tus}$ in textum codicis *α* ob librari neglegentiam e praecedente $\textit{n}\overset{a}{\textit{o}}\textit{tus}$ (p. 108, 1) inrepsisse.[75] Sed quo pacto fit ut **N** et Gm.2 ueram quoque lectionem *nominatus* ostendant, Gm.1 et **I** autem

[69] Vide et p. 108.

[70] Alterae lectiones in **G** ubique e prima manu profluxisse habendae sunt, nisi aliter admoneo.

[71] Hoc loco **I**: *studiose audiuit et immittatus est Cor.* Gm.1 ceteris omissis scripsisse uidetur *Studiose audiuit Cor.*; Gm.2 *audiuit Cor.* erasit, *Cornelium* in rasura scripsit, *& audiit et imitatus ē* in margine addidit.

[72] Vide supra p. 97.

[73] Haud scio an tertia quaedam manus in hoc codice uideatur. Nam c. 18 (p. 114, 8) ubi Gm.1 falso *una* pro *uni* scripserat quaedam manus et a m.1 et m.2 discrepans *una* in *unica* correxit. Neque c. 3 (p. 102, 11) $\textit{L}\overset{i}{\textit{e}}\textit{uius}$, certo iudicare possis cui illa *i* attribuenda sit; neque quis in c. 16 (p. 113, 7) *Domitius Marsus* in *Domiti Marsi* correxerit.

[74] Vide supra p. 87.

[75] Vide supra p. 96.

omnem eius memoriam amiserint? Dicat aliquis librarium *a* errorem suum recognouisse ueramque scripturam postea addidisse. Sin librarius ille tam turpem errorem perspexisset falsam lectionem certe deleuisset, atque ueram scripturam non ut lectionem uariantem sed ut correctionem adhibuisset, neque falsam illud *nōtus* in apographis codicis *a* ullum locum occupauisset. Quae cum ita sint, quo modo uerbum *nominatus* in N explicari possit, nisi ex alio quodam codice atque *a* acceptum sit, non uideo. C. 25 (p. 122, 19) Neapolitanus cum ceteris libris praeter O W numerum pluralem, *educerent*, adhibet,[76] deinde (l. 20) librarius primo *uerebantur* cum ceteris codicibus praeter O W scripsit, postea litteram *n* expunxit ut *uerebatur*, familiae X lectio, efficeretur. In sequentibus autem N cum O W contra ceteros codices omnes facit, *imposuit, celauit, uenit,* exhibens. Quae omnia luculentissime demonstrare debent librarium N duplices lectiones ante oculos habuisse. Idem fere accidit c. 25 (p. 120, 7), ubi idem librarius propriam familiae Y lectionem *latine scilicet* scribere coeperat, deinde uerbo *latine* scripto litteram *e* ut delendam notauit, atque *os* et *·i· latine* suprascripto codicem ad familiae X fidem correctum effecit.[77] Quid, quod librarius N contaminationem quasi ipse professus est? Nempe *Dialogi* in illa magna lacuna, quae est post c. 35, haec scripsit: *multum deficit in exemplaribus quae reperiuntur.* Caue tamen ne hanc contaminationem in ipso codice N primum factam esse existimes. Nam hoc loco Gm.2 nobis auxilio subuenit, quippe qui tam mirum in modum cum N conspiret[78] ut nemo existimare possit N et Gm.2 familiae X lectiones proprias e diuersis fontibus accepisse. Aut Gm.2 ex ipso N hausit aut N et Gm.2 e communi fonte deriuantur. Sed una lectio a Gm.2 addita, c. 5 (p. 104, 18) *Saeuius* in margine scriptum, cuius nullum est uestigium[79] in N nos impedit quominus Gm.2 ex N hausisse existimemus. Quae cum ita sint, satis constat codicem *a* post *ν*, commune codicum G I archetypum, transcriptum sed antequam Neapolitanus exaratus sit, selectas lectiones e familia X adsciuisse, nisi forte credere malis alium quendam codicem inter N et *a* ita intercedere, ut N non sit filius sed nepos codicis *a*, atque in hunc codicem potius quam in ipsum *a* eas familiae X lectiones inrepsisse. Vtramcumque ad opinionem inclinas, concedas necesse est Gm.2 suas lectiones ex illo ipso exemplari, e quo N transcriptus sit, accepisse. Quaerendum igitur est e quo potissimum familiae X codice Neapolitani pater has lectiones acceperit. Quem non ex W hausisse quat-

[76] Vide supra p. 90 sq.

[77] Vide supra p. 89.

[78] Etiam in minutis rebus Gm.2 cum N conspirat, ut c. 6 (p. 105, 8): N *duārum* exhibet, Gm.1 et I *duorum*; Gm.2 autem non satis habuit litteram *a* suprascribere, sed *duorum* in *duarum* primo immutauit, deinde litteram *o* supra posuit.

[79] Vide supra p. 105.

tuor loci, ubi N cum O contra Vindobonensis testimonia facit, probare mihi uidentur:

	O N	W ω
c. 15, p. 112, 13	perceptisque[80] (= D V L)	praeceptisque (praeceptisque *in* perceptisque *corr.* Q)
c. 24, p. 119, 1	grammatice	grammatica es W grammatices (gramatices I) ω grammaticis *e* grammatices *corr. ut uid.* K grammaticis Q grammatic.s P
c. 25, p. 120, 9	intrare[80] (G*m.2* D)	ita re W I itare ω itar̄ B
c. 28, p. 124, 16	cornibus aureis	cornibus aurib' W cornibus ω

Cum tamen c. 25 (p. 120, 7) *.i. latine* (in marg. W Gm.2; suprascr. N) in O non legatur, ibidemque *rhetora sibi* a librario O in *rhetoras ibi* iam correctum esset, uix recusandum est quin librarius qui Neapolitani archetypum exarauit ipsius codicis X copiam habuerit. Quod si uerum est, c. 28 (p. 124, 16) *cornibus aureis* non *cornibus auribus* in codice X et ipso Hersfeldensi libro erat, neque Reifferscheidius temere egisse uidetur, cum *cornibus taureis* edidit.[81]

De codice I non est multum quod dicam. Imperitiam illius librari, qui saepius eis locis, ubi lectiones uariantes se habebant, utramque in textum acceperit, iam aestimare potuisti.[82] Michaelisius in *Dialogo* recensendo[83] hunc codicem tamquam per somnum scriptum esse dicit. Reifferscheidius eum ita plerumque inconsulta deprauatione corruptum, ut saepe se pigeret futilia eius testimonia referre, professus est. Vnam bonam lectionem, quam propriam uocare possum, quamquam in nonnullis aliis codicibus inuenitur, c. 4 (p. 104, 10) praebet: *gramatici* (= *grammatici* B V).[84] Quod autem in eodem libro continuo sequitur, *stacii* pro *statim*, non prorsus intellego, nisi forte librarius nomen aliquod fingere uoluit. C. 30 (p. 127, 3) I, quod satis est admirandum, bonam lectionem *statua* cum ceteris codicibus, ubi N G falso *statuam* (= B) proferunt, exhibet. Inter sescenta uitia huius codicis pauca exempli gratia adfero: c. 2 (p. 101, 3) *Octauianus* pro *Octauius*, (l. 6) *enim* (= W) pro *Enni*; c. 3 (p. 102, 16) *doctissimis* (= B H U F); c. 4 (p. 104, 8) *publico* pro *pulpito*; c. 5 (p. 104, 15) *comentarios p̄ter* pro *praeter commen-*

[80] Nolim tamen praestare lectiones *perceptisque, intrare, rhetora sibi* e familia X in N fluxisse, cum omnes locum in codice Y habuisse uideantur; siquidem prima in D V L, altera in D, tertia autem in B reperitur. *perceptisque* et *intrare* sine dubio ad duplices lectiones in Hersfeldensi codice referenda sunt (uide supra p. 100). De *rhetora sibi* (fortasse hic quoque duplex lectio Hersfeldensi codici assignanda erat) uide supra p. 70.

[81] Vide supra p. 90.

[82] Vide supra p. 95 sq. et 104 sq.

[83] *Praefat.* p. XIII.

[84] *grammaticę* G *grammaticis* ω.

tarios; c. 7 (p. 105, 23) *ajure* pro *aiunt*; c. 18 (p. 114, 4) *pausam* (=D) pro *Pansam*; c. 22 (p. 116, 12) *petisse* pro *petiit*; c. 24 (p. 118, 7) *Legereat* pro *Legerat*; c. 25 (p. 121, 13) *sonatorium* pro *senatorium*.

III. De Stirpe β

1. Lectiones Stirpis β propriae exhibentvr

Ex alio codicis **Y** apographo, quod β nomino, quattuor libri, Bodleianus (**B**), Hauniensis (**D**), Vaticanus 1862 (**V**), Leidensis (**L**), uariis gradibus ortus ducunt. Horum codicum **V L** soli cum opusculis Taciteis *Germania* et *Dialogo* coniuncti sunt, de quorum dispositione uide supra p. 60 sq. Codices **B V L** indicibus praediti sunt; **D** indice caret. De totius libelli inscriptione nulla est conspiratio inter hos codices. **V** ut longe optimus huius stirpis Hersfeldensis libri inscriptionem una cum stirpe α conseruat:[85] *C. SVETONI TRANQVILLI DE GRAMMATICIS ET RHETORIBVS INCIPIT*. Cui **B** proxime accedit exhibens: *C. Suetonii Tranquili đ Grāmaticis antiquis et RHETORIBVS*. **D** et **L** interpolatiores inscriptiones exhibent: *C. SVETONII. TRANQVILLI. DE/ GRAMMATICIS. ET. RHETORIBVS./CLARIS. LIBER. INCIPIT. FELICITER.* **D** *Caii Suetonii Tranquilli De Viris illustrib,/liber incipit:—DE GRAMMATICIS.* **L.** In codicum **B V L** indicibus rhetorum nomina post ea grammaticorum leguntur; non sunt iuxta posita ut in stirpe α.[86] Ante grammaticorum indicem est inscriptio: *Grammatici cebres* **B** *GRAMMATICI CELEBRES.* **V** *GRAMMATICI: ILLVSTRES:—* **L.** Ante rhetorum indicem: *ITEM RHETORES CLARI* (litteris minusculis in **B**) **B V** *RHETORES* **L.** Unde apparet uerba *celebres* et *clari* additicia esse.[87] Totius libelli inscriptio indices sequitur. In **D** ante eam partem, quae est de rhetoribus, haec uidentur: *DE CLARIS. RHETORIBVS.* In **L** in margine minio confecta haec sunt uerba: — *De rheto/ribu/s.* In **B V** alteram partem nihil nisi nouum caput indicat. Ad finem totius operis haec subscriptio in **V** margini adtexta est: *Non repperi ultra in exemplari*; in **D** *NIL· AMPLIVS· REPERITVR*; in **L** in margine *Amplius repertum non est ad huc. desunt rhetores XI*; in **B** τελως. Has bonas lectiones stirpis β peculiares reperies:

	β (B D V L) (*recte*)	ω
c. 2, p. 100, 14	Aristarchi (=**H U** Δ) (Aristarchie **B**)	Aristarci ω Haristarci **O W** aristarici **I**
c. 2, p. 101, 12	Ser.	Seruius

[85] Vide supra p. 61.
[86] Vide supra p. 103.
[87] Vide supra p. 103.

	β (B D V L) (*recte*)	ω
c. 4, p. 104, 1	ipsos (= Q)[88]	ipsis ω ipsi N ipiūs I romanis K
c. 6, p. 105, 8	diuarum B D L (= Q) diuarum [ν duarum] V	duarum ω duårum N G duorum I
c. 18, p. 114, 14	ad .Q.	atque X ad .Q. atque *a* ad (.Q. *om.*) M K in (.Q. *om.*) H U *omis.* C Δ Q
c. 20, p. 115, 3	hyginus B Hyginus [ν phrygi-nus] V higinus D higinus [fri] L	Hyginius *a* phryginus *uel* phriginus ω (*uide supra p. 99*)

Lectiones quas pro corruptis habeo, quamquam nonnullae earum omnibus editoribus fraudes fecisse uidentur,[89] sequuntur:

	β (B D V L) (*falso*)	ω
c. 2, p. 100, 15	secundum et[90] (= M K U Δ)	secundum ac
p. 101, 3	et D V L ut B	etiam
c. 3, p. 102, 13	Catullo B V (= K H Q) Catullo *in* Catulo *corr.* L catulo D	Catulo ω W *in marg.* capulo O W
c. 4, p. 103, 8	diligenter aliquid V L aliquid *omis.* B D	aliquid diligenter
p. 104, 3	alia (= Q)	alias
c. 7, p. 105, 14	Scytobachionis B scitabachionis D Scythabachionis V scythabachionis L	scythobrachionis O G I M H C scycho brachyonis *in* scytho brachyonis *corr.* W*m.2* Scytobarchionis N scithobrochionis K scytobrachionis *e coniect.* U Scithobrachionis Q
c. 8, p. 106, 8	grammaticae D L (= Q) grammatice B V	grammatica
c. 9, p. 107, 12	Varone B V L (= I K) Varrone D	Varrone
c. 10, p. 109, 2	nil (= γ)	nihil
c. 12, p. 110, 1	assillas B (= Δ) +asilla (*eadem nota in mg.*) D asillas V +asillas L	assylas ω assyllas (*ex* adsyllas *corr.* O) O N I P alsill s M assilas K Asylas U

[88] Vide infra p. 180 sq.

[89] Vide infra p. 138 sq.

[90] Perperam Reiff. in apparatu.

	β (B D V L)	ω
c. 13, p. 111, 1	*om.*	litterarum
c. 15, p. 112, 14	*om.*	domino
c. 17, p. 113, 20	inferiore	superiore
c. 18, p. 114, 4	pasides (= Q; Pasides V)	pasicles
c. 21, p. 116, 4	qui nunc locorum B D V qui nunc iocorum L	qui nunc iocorum ω qui nun cio corum O qui nuntio eorum W
c. 22, p. 116, 13	sibi sed (= Q)	sed sibi
c. 23, p. 116, 22	Rheminius (= Q; R^{h}eminius L)	Remmius O; W *in marg.* Rhemmius ω M Emmius W *in text.* ramnius U Rhemnius Δ *omis. lacuna relicta* H
c. 26, p. 123, 14	horditarium B ordinarium D hordinarium V ordinarium L	hordearium N H hordiarium W ordiarium O hordeam G I horde^{4m}a M hōdear^{m} K ordeanum U hordear^{m} C hordeare Δ hōdear Q

Huc adde quod c. 13 (p. 110, 21) haec stirps interpolatam lectionem ***hero*** (***here*** **B**) *suo Metre* (***metre*** **L** ***morem*** **D**) in textum accepit.[91]

2. Codicis B Lectiones notabiliores exhibentvr atqve breviter excvtivntvr

Codex **B**, quamquam propriis uitiis scatet, quibusdam lectionibus quae codicum **D V L** propriae sunt[92] caret, unde facile perspicitur illum non eadem uia atque hos e codice β profluxisse. In hoc codice duo genera lectionum peculiarium inter se maxime repugnantia animaduerti. Quorum unum uiri alicuius docti curam plane arguit, qui nonnullas praeclaras emendationes fecit. Alterum genus librarium stultissimum detegit, qui nihil omnino eorum quae scribebat intellexisse uidetur, lectiones marginales uel supra scriptas in contextum accepit,[93] compendia ineptissime explicauit, permultas uoces nihili effecit. Bonae lectiones, quae in hoc solo codice uel in paucis aliis inueniuntur, hae fere sunt:[94]

	B	D V L ω
Index p. 98, 22	M.	*omis.*
p. 99, 1	L. (= M)	*omis.*

[91] Vide supra p. 84 sq. De ceteris lectionibus duplicibus vide et p. 74 sq.; p. 95 sq.

[92] Vide infra p. 122.

[93] Vide supra p. 95 sq.

[94] Hunc codicem unam litteram *i* in genetiuo singularis numeri eorum nominum propriorum, quorum nominatiuus singularis in *-ius* desinit, saepius exhibere supra p. 65 sq. ostendi.

	B	**D V L ω**
c. 1, p. 100, 7	adnotatum (= annotatum *a*)	adnotum (aduotum **D**)
c. 3, p. 102, 15	doceret[95] (= **OW**)	edoceret ω edocent **D** edocuisse **Q**
c. 4, p. 103, 11	Messalla[96] (= **I K Δ P**)	Messala (Mesalla **H**)
p. 104, 10	grammatici[97] (= **I V**)	grammaticis (grammaticę **G**)
c. 11, p. 109, 5	Publius (= .P. **O** p **W**)	*omis.*
c. 17, p. 113, 10	Marcus (= .M. **W**)	*omis.*
c. 20, p. 115, 3	hyginus (= Hyginus (ℓ phrygi- nus) **V**)	*uide supra p. 99*
c. 24, p. 118, 6	berytius (= **V G M H Q**)	*uide supra p. 109*
c. 25, p. 122, 3	tum utilia.... et tum[98]	dum (*om.* Δ) utilia (italia **W**)..dum
p. 122, 23	in libertatem[99] (= **U**)	in libertate (*om.* **K**)
c. 28, p. 124, 14	nucerino[100] (= **O W**)	Nuncino *uel* Mancino[101]
c. 29, p. 124, 18	Sex (= **W**)	Sextus
c. 30, p. 127, 1	et excanduisset ut[102]	ita excanduisset ut **O W D** ita excanduisse (excauduisse **K**) et (et *ut delendum not. m.3* **L**) ut ω ita excanduisse ut *a*

Has omnes lectiones coniecturae attribuo, nisi forte c. 20 (p. 115, 3) *hyginus*, et c. 24 (p. 118, 6) *berytius*, quae ex Hersfeldensi codice in **B** manare potuerunt, excipere uelis. Quamquam c. 28 (p. 124, 14) *nucerino* et c. 30 (p. 127, 1) *excanduisset* in Hersfeldensi fuisse persuasum habeo, nihilominus illud in **B** et hoc in **B D** coniecturae deberi mihi uidentur.

[95] Vide supra p. 75.

[96] Haec forma in titulis est usitatior. Vide Lübker[8], *Valerius* 43; *Prosopogr.* III *Valerius* 90. Non infitior tamen talem scripturam in singulis codicibus uel librari socordia oriri potuisse.

[97] Praepositio *e* ante *grammatici* deficit in **B**.

[98] *et* reiciendum est. *tum* . . . *tum* in omnibus fere editionibus post Stephanum.

[99] *in libertatem* Vinetus et uulgo.

[100] Vide supra p. 62 sq.

[101] Vide supra p. 101.

[102] *et ita excanduisset ut* edendum est, ut uidetur. Vide supra p. 82.

Vt cetera propria huius codicis attingam: praenomina saepissime exscripta sunt; consonantes saepenumero duplicatae sunt, ut *declammare* et uerba quae ab eo deriuantur sic ut uides semper scripta, c. 4 (p. 104, 4) *arridi* (= C), c. 21 (p. 116, 2) *ellegantē* (= K), c.22 (p. 116, 18) *pugillem*, (l. 21) *pugillus*, c. 23 (p. 117, 1) *cōmitatur*, c. 23 (p. 117, 19) *colleret*, c. 25 (p. 119, 10) *difficillius*, c. 28 (p. 124, 9) *apperuit*, c. 29 (p. 124, 19) *occulatus*, c. 30 (p. 127, 5) *reddiit*, et alia; contrarium nonnumquam fit ut c. 23 (p. 117, 6) *comittendam*, (p. 117, 9) *Arogantia*, ibid. *uaronem* (= K), c. 25 (p. 122, 21) *falatiam* (= *falaciam* M K), c. 29 (p. 125, 6) *concesisti*. Littera *e* pro *ae* fere semper scripta est. Idem codex scribendi compendiis horret. Praeter compendia usitata, quae in aliis codicibus inueniuntur, haec inter alia in B inuenies: *sylłisqȝ* pro *syllabisque*, *ex*^{is} pro *exemplis*, *1*^{a} pro *una*,[103] *p*^{o} pro *primo*, *.q.* pro *quondam*,[104] *ex*^{aria} pro *exemplaria*, *p*^{am}[105] pro *personam*, *ȝ* pro *scilicet*,[106] *m̄a* pro *materia*, *ūx* pro *uxorem*,[107] *9* pro *contra*, *for*^{na} pro *fortuna*. Quae compendia indoctum illum librarium in exemplari quo usus est repperisse puto, cum tam multis locis in compendiis male explicandis uel omnino neglegendis ineptissimec errores admiserit, ut c. 4 (p. 103, 26) *nomin'* pro *nihilo minus*; c. 9 (p. 106, 23) *citus esse* pro *Cicerone;* c. 9 (p. 107, 20) *filiam* pro *filium*;[108] c. 10 (p. 108, 24) *Rome*[109] pro *ratione*; c. 14 (p. 111, 9) *ratiœ* pro *Romae*; c. 16 (p. 113, 2) *p̄t'* (*praeter*?) pro *post*; c. 23 (p. 116, 22) *in litteris* pro *mulieris*; c. 25 (p. 120, 10) *p̄ceptor* pro *praeter*, (p. 120, 13) *scientiam* pro *sententiam*; c. 25 (p. 122, 12) *ex cāūā* pro *exempli causa*; c. 25 (p. 123, 3) *aqua* pro *aliqua*. Minime est operae pretium omnia futilia testimonia huius libri hic proferre, quippe quae in apparatu critico editionis meae mox apparitura sint, sed complura notabiliora exempla hic profero:[110]

		B	D V L ω
c. 1, p. 100,	1	nec in usu[111] (= H)	ne in usu
c. 1, p. 100,	2	*om.* (= γ)	scilicet
c. 2, p. 100,	14	Millotes (= F)	Mallotes ω Molotes U aullotes C Δ Aulotes Q

[103] C. 9 (p. 106, 18).

[104] C. 23 (p. 117, 13).

[105] C. 24 (p. 119, 3).

[106] C. 25 (p. 120, 7) *latine scilicet.*

[107] C. 14 (p. 111, 6).

[108] Vide infra p. 146.

[109] Cf. c. 25 (p. 120, 2) *Ro*^{e} pro *Romae.*

[110] Ea potissimum exempla exhibeo, ubi B cum deterioribus libris stirpis γ facit, ut quisque pro se iudicare possit num B aliquam artiorem necessitudinem cum his libris habeat. Ego quidem talem necessitudinem agnoscere nequeo, neque meo iudicio haec conspiratio quicquam probat, nisi eadem fere compendia saeculi quinti decimi parte posteriore usitata esse, atque librarios inscios et oscitantes saepius in eis explicandis eosdem errores fecisse.

[111] Sic Decembrius. Vide supra p. 60.

		B	D V L ω
c. 2, p. 100,	17	foramine (=**K**)	foramen
	20	ad hec (=ad haec **C** Δ **Q**)	adhuc (ad h^c **H**)
p. 101,	4	publicū	punicum
	9	philoconiū (=γ)	Philocomum (Phylocomum **N** phylocomum **W**)
c. 3, p. 101,	15	istilio (=**H**)	istilo ω stillo **K** stilo **Q**
c. 4, p. 103,	6	Corq (=Corneliusque **H U C Q**)	Cornelius (Cornellius **K**) quoque (*om.* quoque Δ)
	17	et istum illum (=**H U**)	et (ne **D** *om.* **F**) illum
c. 8, p. 106,	13	enniclencorum	Ennii (enni **W** *m.1* **V** emnii **O** enim **C** Δ .n. **H** .i. **U**) elenchorum (elencorum **L** elnthorū **I** elleutorum **K** elinchorum **U**)
c. 9, p. 107,	5	omni occasione[112] (=**W***m.2*)	omni in occasione ω omni sermone γ *praeter* **Q**
c. 10, p. 108,	1	nominatus	notus **L G** n$\overset{a}{o}$tus **N** $\overset{p\,a}{no}$t$\mathring{u}$s **V** natus (nactus **K** om. **U** Δ **P**) ω
	3	scripta dicta	scripta ω dicta Δ
p. 109,	4	translationibus alter cato ut non nulli[113]	translationibus
c. 14, p. 111,	8	M. Tulii Ciceronis	M. (Marci **N G I** magister **L Q**) Ciceronis (Cyceronis **W**)
c. 18, p. 114,	3	crassibius	Crassitius (crassicius **K**)
c. 18, p. 114,	9	anno hoc	coniugio hanc *uel* coniugio hoc[114]
c. 20, p. 115,	3	.C. augusti	Augusti *uel* augusti (aug: **C**)
c. 20, p. 115,	7	multi uocabant quedam	multi quidam (quidem **O W N G I**)
	10	claudio	Clodio *uel* clodio (.C. **D**)
	13	cloctrina	doctrina
c. 21, p. 116,	3	*om.*	aetatis *uel* etatis
c. 23, p. 116,	22	uincentinus (=**H**)	uicetinus **W** uicentinus (uiccentinus **G**) ω
117,	14	inclusit	indulsit
c. 25, p. 119,	11	$\overline{ee}$ (esse)	etiam
p. 120,	4	recisores	censores

[112] Vide infra p. 144.

[113] Caput quod sequitur incipit: *Publius uallerius cato* etc.

[114] Vide supra p. 102.

	B	D V L ω
c. 25, p. 120, 10	*om.* (= **Q**)	maiorum (malorum **Δ**)
12	....	uidetur
p. 121, 2	*om.*	quoque
5	*om.*	causam ω cām **L K H U** causas **D**
c. 25, p. 121, 7	*om.*	bello
p. 122, 11	sicut certe et collecte	sic (si **W** & sic **K H U C Δ**) certe collectae (*uel* collecte) (collaecte **C**)
c. 26, p. 123, 9	dolobelam	dolebam
c. 28, p. 124, 14	epidicus	Epidius (Epilius **U**)
14	epidico	Epidio[115]
c. 30, p. 126, 10	incesserat	incessebat (incessabat **W Δ P**)

Harum lectionum complures sine dubio uelut c. 10 (p. 107, 5) *omni occasione*,[116] c. 14 (p. 111, 8) *M. Tullii Ciceronis*, c. 18 (p. 114, 9) *anno hoc*, c. 20 (p. 115, 3) *.C. augusti*, c. 20 (p. 115, 10) *claudio*, c. 25 (p. 119, 11) *esse*, c. 25 (p. 122, 11) *sicut certe et collecte*, c. 28 (p. 124, 14) *epidicus*, *epidico* (ob *epidici* nomen l. 13),[117] c. 30 (p. 126, 10) *incesserat*, eidem uiro docto, qui bonas lectiones supra (p. 118 sq.) exhibitas restituit, attribuendae sunt, sed in magna parte earum nihil nisi inconsultam deprauationem a stulto illo librario qui ipsum **B** exarauit admissam uidebis. Quo autem pacto illa duo genera lectionum in **B** in concordiam redigi possunt? Meo iudicio fieri non potest, si **B** ex ipso β transcriptum esse censemus. Persuasum igitur habeo inter **B** et β alterum quendam librum multo praestantiorem quam ipsum **B** intercedere, quem librum a uiro certe non indocto exaratum esse. Sed ne quis me in re dubia nimium praestare existimet, certissima testis editio quam *Incertam* nomino nobis adest. De fontibus eius editionis infra (p. 159 sq.) disseram, atque demonstrabo ut spero, codicem **B** esse apographon ipsius β non posse.

3. Codices D V L e commvni Archetypo deperdito λ proflvxisse demonstrantvr

Artius est uinculum quod codices **D V L** coniungit, ita ut cuiuis appareat duo fuisse codicis β apographa, unum librum illum e quo **B** transcriptus sit, alterum, quem in stemmate λ nomino, e quo **D V L** ortus ducant. Quam opinionem has lectiones peculiares codicum **D V L** confirment:

	D V L	B ω
Index,[118] p. 98, 19	M. V L	C.

[115] Vide supra p. 47.
[116] Vide infra p. 146.
[117] Vide supra p. 104.
[118] **D** indice caret.

	D V L	B ω
c. 1, p. 100, 8	praeallegabant **D** prealegabant **V** pręallegabat (supra: plegebât) *corr. eadem man. ut uid.* **L**	plegebant **B** praelegebant ω prelegebant **O U** perlegebant **Δ Q** praelegabant **W**
c. 4, p. 103, 7	quidem uulgo (= **U Q**)	uulgo quidem
c. 4, p. 103, 25	iam[119] (= **Q**)	iam tam ω in tam **N G I** tam **O W H** iam tum **U**
c. 12, p. 110, 17	filioque[120] **V** (= **Q**) Filioque **L** filiosque **D**	filio quoque
18	Quasi[120] **V** quasi **D L**	q̃ *cum lineola transuersa per* q *litteram* **B** quare (Qr̄ **M**) ω
c. 21, p. 116, 1	Augusto et **V** augusto et (= **I**) **L** augusti et **D**	Augusto etiam (*om.* **C Δ Q**) **B** ω
c. 24, p. 119, 3	uel[121] (= **O**)	et **B** ω
c. 25, p. 121, 11	profluit **D V** (= **Q**) profluit *corr. m. 3* **L**	profluxit
p. 122, 17	affuit (= adfuit **Q**)	infuit (fuit **H U C Δ**)
c. 27, p. 124, 3	et **V L** & **D** (= **O Q**)	ac
c. 30, p. 126, 4	adornate (= **Q**)	adoranter
13	sui (= **Q**)	sua (*om.* **Δ**)
15	personalem (= **Q**)	proconsulem **B O W U C** procos. **G I K** procons. **M H** proconsule **Δ** porcos. **N**
p. 127, 3	yspeū[122] **V** ispeum **D** ipseū **L**	ꝯspectu **B** conspectu ω

Huc adde quod c. 5 (p. 104, 21) *obisse* (= **W G Q**), c. 15 (p. 112, 13) *perceptisque*[123] (= **O N** correcta lectio in **Q**), **D V L** Hersfeldensis codicis scripturas conseruare uidentur, ubi **B** in eosdem errores ac ceteri fere codices delapsus est.

[119] Vide supra p. 83.
[120] Perperam Reiff. in apparatu.
[121] Vide supra p. 92.
[122] E compendio *ꝯspēū* corruptum.
[123] Lectio duplex *perceptisque: praeceptisque* in archetypo.

4. Codex D et Editio Florentina a. 1478 tractantvr

Quaedam est confusio in codicis **D** testimoniis, ut saepius animaduertere potuisti. Namque c. 4 (p. 103, 20) bonam lectionem *titulo*[124] cum **X** et **Gm.** 1, c. 25 (p. 122, 22) *Res cognita est*[125] cum **X** (*recognita est* **W**) **N Gm.**2, c. 30 (p. 127, 1) *excanduisset*[126] cum **X** et **B** exhibet. C. 2 (p. 101, 8) *lucili*, cum solo **V** genetiuum una littera *i* scriptum ostendit, quamquam ceteris fere locis duplicem *i* praefert.[127] C. 3 (p. 103, 2) **D** solus, fortuito ut censeo, *Sescenius* una littera *n* scriptum ostendit, quae scriptura, si titulos sequimur, restituenda est.[128] C. 24 (p. 119, 4), ubi uix extrices utrum *cum plurimos* an *cum plurimis* in Hersfeldensi codice extaret, **D** meliorem scripturam *cum plurimos* praebet.[129] C. 3 (p. 102, 13) *catulo* et c. 9 (p. 107, 12) *Varrone*, **D** ueras lectiones contra ceterorum suae stirpis testimonia praebet. Sed praecipue est hic codex insignis propterea quod c. 14 (p. 111, 12 sq.) in Ciceronis epistula ad Dolabellam nomen *Niciae* (l. 12) et uerba Graeca (l. 13) ὀβελίζει, et (l. 14) τοῦ ποιητοῦ παρεμβεβλημενοι (sic) e Cicerone restituta exhibet. Interpretationes Latinae etiam suprascriptae sunt: *.i. poete. .homeri. .interpositi.* Vocula *an* (l. 14) in hoc ut in omnibus codicibus deest. Quibus additamentis certe ignoscendum est, sed non ita benigne de permultis aliis quae in eodem libro se habent iudicaueris. Nam codex **D**, quamquam est praestantior quam stirpis γ libri, si modo Venetum **M** excipias, neque tam inconsulta deprauatione quam **B** et **I** maculatus esse uidetur, interpolationibus tamen refertus est. Huius codicis librarius, uel potius librarius qui archetypum huius codicis exarauit, ut infra demonstrabo, permulta recta deprauauit. Interpolationes quae in inscriptionem introduxit supra (p. 116) uidisti. Summa libidine in nominibus propriis mutandis usus est, ut c. 3 (p. 102, 11) *.L.* pro *Laeuius*, c. 10 (p. 108, 8) *.L.* pro *Laelium*, c. 20 (p. 115, 10) *.C.* pro *Clodio*, c. 25 (p. 121, 8) *Ne. Ro. Caes.* pro *Nero Caesar*, c. 2 (p. 101, 6) *Varguntius* pro *Vargunteius*, c. 10 (p. 107, 22) *ATRIVS* pro *Ateius*, c. 18 (p. 114, 14) *.Q. septimi*[130] pro *Q. Sexti*. In tertia persona plurali perfecti actiui finem *-ere* pro *-erunt* saepe substituit: c. 25 (p. 120, 15) *appetiuere*, (p. 121, 10) *edidere*, (p. 122, 15)

[124] Vide supra p. 112.

[125] Vide supra p. 88; p. 90 sq.

[126] Vide supra p. 82; p. 119.

[127] Vide supra p. 65 sq.

[128] Vide Schulzium *Latein. Eigenn.* p. 231, quem codicis **L** interpolatae lectioni *fescennius* aliquam auctoritatem attribuisse miror.

[129] *Cum plurimis* **W N G V M Q** *cum plurimos* **O D L K U C** *cum plurim'* **I** *cum plurimi* **H** *cum plurimum* Δ *cōplures* **B**. Ihmius, *l. c.* p. 552, *cum plurimis* in Hersfeldensi libro fuisse iudicat, quod probabilius mihi uidetur. Idem *cum plurimum* restituendum censet. Cf. *Aug.* 78, 1; *Dom.* 7, 2; *Tib.* 38, *cum longissime.*

[130] Hoc et multa alia futilia huius librari ab Aldo ex editione Florentina 1478 sucepta sunt, atque in editionibus usque ad Oudendorpium, Wolfium, uel etiam Trossium locos obtinebant.

adiere, pepigere,[131] (l. 16) *soluere.* C. 20 (p. 115, 10 sq.) ubi Suetoni uerba sunt, *qui eum admodum pauperem decessisse tradit et liberalitate sua quoad uixerit, sustentatum,* librarius iste haec effecit: *qui cum admodum pauper decessisset: tradit ex liberalitate sua quoad uixerit sustentatum.* C. 11 (p. 109, 20) ubi codices recte[132] *in summam pauperiem . . . inopiam* proferunt, casum ablatiuum substituit, quae interpolatio uiris doctissimis ualde placuisse uidetur, cum lectionem ab Aldo susceptam, *in summa pauperie et paene inopia,*[133] nemo ad hanc diem, quod sciam, correxerit. Sed librarius ille non satis habebat hanc interpolationem facere, sed etiam *senectutem* pro *senectam, paupertate* pro *pauperie* scripsit. C. 21 (p. 116, 1) ubi corruptum *quod elegantem* (pro *quo delegante*) in exemplari legit, corruptelam sanare sibi uisus est *quod eleganter* scribens. Alias ineptias ab eodem librario admissas hic habes: c. 1 (p. 100, 7) *graece* pro *Graecos*; c. 3 (p. 101, 16) *quimanum* pro *optimatium*; c. 4 (p. 103, 13) *sigida* pro *tigida* in exemplari, (p. 103, 16) *grammatica: ne* pro *grammatista, et,* (p. 103, 20) *non temere quem non* pro *non temere quem,* (p. 104, 5) *uides* pro *uideo,* (p. 104, 8) *uero mane* pro *mane uero*; c. 6 (p. 105, 8) *Huic* pro *Huius*; c. 10 (p. 109, 3) *utque* pro *uitetque*; c. 11 (p. 109, 10) *poetas* pro *poeticam,* (p. 109, 21) *abductus* pro *abditus*; c. 14 (p. 111, 16) *haberi* pro *habere*; c. 15 (p. 112, 6) *ad telluris templum* pro *ad Telluris,* (p. 112, 8) *probum* pro *probi*; c. 17 (p. 114, 1) *facto* pro *fastos,* (p. 114, 2) *inciso publicaret* pro *incisos publicarat*; c. 21 (p. 116, 7) *trachatas* pro *trabeatas*; c. 22 (p. 116, 20) *glossamata* pro *glossemata*; c. 23 (p. 117, 13) *militem* pro *iudicem*; c. 25 (p. 120, 13) *ostendemus* pro *ostenderemus*; c. 25 (p. 120, 5/13) *uobis* pro *nobis*; c. 25 (p. 122, 6) *exsoluerunt* pro *exoluerint*[134] in exemplari; c. 28 (p. 124, 16) *scarni* pro *Sarni*; c. 29 (p. 125, 10) *assignati* pro *assignasti*; c. 30 (p. 126, 2) *densum* pro *demum.* Multa quoque uerba omissa inuenies, ut c. 2 (p. 100, 16) *Punicum,* (l. 19) *ad imitandum,* (p. 101, 13) *usus*; c. 7 (p. 106, 6) *ut hoc*; c. 9 (p. 107, 4) post *neglegentia,* quod in hoc codice *negligentiore* scriptum est, uerba usque ad *acerbae* omissa; c. 10 (p. 108, 7) *auditor*; c. 14 (p. 111, 12) *opinor*; c. 22 (p. 116, 17) *inde*; c. 30 (p. 127, 5) *ob uitium*; et alia.

[131] Vide supra p. 91 adn. 179.

[132] Haud dubitabo lectionem archetypi, *Vixit . . . in summam pauperiem et paene inopiam* restituere, cum luce clarius hoc ipsum dicere voluerit Suetonius. Nam Cato non semper pauper fuerat, quippe qui olim uillam Tusculanam haberet, sed *in summam pauperiem uixit.*

[133] Sic in H Δ solis. Vide infra p. 158; p. 177.

[134] Reifferscheidius recte *exoluerunt* edidit. *exoleuerunt,* quod primum apud Beroaldum animaduerti, a Statio Casaubono omnibusque sequentibus praeter Trossium editur. Non ignoro Priscianum (II 488, 20) perfectum *exoleui* huius uerbi proferre, sed nullam satis idoneam causam uideo, cur uim codicum fidei faciam. Ad Curtium III 13, 17 codices teste Heidicke *exsoluisse* testantur, quod *exoluisse* non *exoleuisse,* ut uulgo editur, plane indicat. *exoluere* uel *exsoluere* apud Plaut. *Bacch.* 1135 in codicibus exhibetur. *aboluerit* in titulis (*C. I. L.* VI 10407c) semel inuenitur. Vide Neue, *Formenlehre* III³ p. 378 sq.; p. 421.

Ad codicem **D** recte iudicandum editio Florentina a. 1478 testis pretiosissima nobis adest. Quae editio tam mirum in modum cum **D** conspirat ut paene existimes te unum atque eundem librum ante oculos habere. Easdem inscriptiones et subscriptiones exhibent,[135] easdem capitum et clausularum distinctiones, cuiusque capitis primum uerbum litteris maiusculis exaratum, ceterisque locis easdem litteras maiusculas, haec omnia communia habent. Quin etiam minutissimis rebus orthographis fere semper inter se conspirant. Cum in eis lectionibus omnibus stirpis β tum in eis librorum **D V L** propriis quas supra[136] exhibui editio Florentina semper cum **D** facit, nisi quod c. 12 (p. 110, 17) ubi **D** *filiosque* praebet, Florentina cum **V L** *filioque* testatur. Earum lectionum ipsius **D** propriarum, quas modo (p. 124 sq.) exposui, ne una quidem praeter uerba Graeca in Florentina editione deficit. Centum fere lectiones peculiares quae in **D** et editione Florentina solis inueniuntur enumeraui. Verba Graeca c. 14 (p. 111, 13-14) in Florentina deficiunt, sed spatia uacua rite relicta sunt, unde continuo apparet codicem **D** ex editione Florentina transcribi non potuisse. Quod si etiam dubium uidetur aliis exemplis[137] probare licet, cum c. 29 (p. 125, 9) codex **D** *duo milia* sic exprimat, $.\overset{M}{II}.$; in Florentina autem compendium in *secundum* resolutum sit. C. 8 (p. 106, 14) etiam *sedecim milibus* **D** sic, $\overline{XVI}$, profert; Florentina autem *.VXI.* testatur. Quae cum ita sint, facile animum induxeris Florentinam editionem codicis **D** esse apographon, quod tamen a uero abhorrere uidetur. Namque c. 28 (p. 124, 12-13) uerba *sectam sequeretur, malle respondit Isaurici* in **D** deficiunt, cuius corruptelae causa manifesta est, cum nomen *Isaurici* in l. 13 repetitum librario fraudes fecerit; editio Florentina tamen hunc locum integrum praebet. Item c. 4 (p. 103, 15) Florentina recte *Grammaticumque*, **D** (= **U**) falso *grammaticum* profert; c. 6 (p. 105, 4) Florentina cum libris scriptis *consenuit: composuitque*, **D** *consenuitque* (*composuit* om.) ostendit. Adde quod **D** has lectiones falsas praebet, ubi editio Florentina cum ceteris fere libris scriptis facit: c. 1 (p. 100, 7) *aduotum est*; c. 3(p. 102, 15) *annis*; c. 4 (p. 103, 23) *LETERES*[138] (*u ETERES* Florent.); c. 9 (p. 106, 17) *QRBILIVS*[138] (*o RBILIVS*

[135] Vide supra p. 116 sq. Inscriptioni uerbum *FELICITER* in editione Florentina deest.

[136] Vide supra p. 116 sq.; p. 122 sq.

[137] Paucae propriae lectiones in Florentina inueniuntur, quarum pars maxima typographorum erroribus debentur. Hae fere sunt: c. 4 (p. 104, 3) *aethologias* pro *aetheologias* in **D**, (p. 104, 12) *aliquit*; c. 5 (p. 104, 15) *commetatores*, (l. 19) *postinus* (*postmus* **D**); c. 9 (p. 107, 6) *ut* om., (p. 107, 4) *habitum*; c. 10 (p. 108, 5) *adiurium*; c. 14 (p. 111, 7) *proditas*, (p. 111, 11) *Hirciam*, (p. 111, 15) *si* om.; c. 15 (p. 112, 12) *inerudissimum*; c. 16 (p. 113, 2) *Post inde*; c. 17 (p. 113, 20) *heniculum*; c. 18 (p. 114, 4) *pausa* (*pausam* **D I K**), (p. 114, 11) *Iniam* pro *Intima*, *extiterunt*; c. 25 (p. 120, 6) *iuuentus ad quos*, (p. 120, 13) *placet*; c. 28 (p. 124, 14) *nunciono*. Duobus locis bonas lectiones praebet Florentina: c. 28 (p. 124, 13) *epidi* (*epidici* in libris praeter **N G I Lm.3 C Δ**); c. 29 (p. 125, 4) *obicit* (= **O W B K**).

[138] Hinc colligitur miniatorem in **D** uix eundem fuisse qui librum exarauerit.

Florent.); c. 10 (p. 108, 17) *tam* pro *tamen*; c. 12 (p. 110, 17) *filiosque* (*filioque* Florent.);[139] c. 14 (p. 111, 8) *interdum est*, (l. 9) *deo* (pro *de eo*); c. 20 (p. 115, 9) *socios*; c. 21 (p. 116, 1) *augusti*, (l. 2) *ordinatum*; c. 26 (p. 123, 6) *si refert*, (l. 9) *continebatur*; c. 27 (p. 124, 2) *doneo*; c. 29 (p. 125, 6) *uelleret*. Quae cum ita sint, nemo putabit editionem Florentinam apographon esse codicis D, sed quisque libenter concedet Florentinam et D eiusdem patris esse gemellos. Ipse D igitur non est apographon codicis λ, communis archetypi[140] codicum D V L, sed alter quidam liber iam diu deperditus inter D et λ intercedit. Ego quidem uerisimillimum puto duos libros inter D et λ intercedere, cum meo iudicio uir ille doctus qui Graeca e Cicerone suppleuerit, *catulo*, *titulo* et alia bene restituerit, omnes eas interpolationes ineptissimas, quae etiam in codicis D archetypo[141] erant, numquam admittere potuerit.[142] Quam tamen opinionem, cum argumenta certissima desint, non persequar.

Hauniensis codicis archetypum Vaticani 1862 esse apographon olim suspicabar, cum c. 3 (p. 101, 16) in V uerbum *optimatium* ita scriptum est ut litterae *op* pro *qo* a librario imperito facile capi potuerint, et corruptum illud *quimanum* in D inde profectum esse tibi persuadeas. C. 30 (p. 126, 2) autem D corruptelam *densum* profert, quae originem in compendio *demū*, quod est in V, habere potuit, cum ille ductus cum praecedente littera *m* ita coniunctus sit ut in ipso V *densum* paene legi uideatur.[143] Cui tamen opinioni non iam suffragor, sed potius existimem librarium V, quippe qui exemplar suum religiosissime transcripserit, his locis quos dixi ipsam scripturae formam repetisse. Codicis D archetypum ex V transcriptum esse credere hae discrepantiae, quae non in D exortae sunt, sed ad ipsum Hersfeldensem librum uel saltem ad codicem Y referendae sunt, nos uetant:[144]

	D	V
c. 3, p. 102, 15	conductus *in* conductos *mut.*[145]	conductos
c. 14, p. 111, 13	creticus	criticus
18	mollitiem	molliciam
c. 16, p. 112, 16	sarti[146]	Satti
c. 17, p. 113, 17	Catilinae	Catuline
c. 18, p. 114, 11	uota	nota

[139] Vide supra p. 123.

[140] Vide supra p. 122.

[141] Vide supra p. 124 sq.

[142] Haec opinio illo ipso loco, ubi uerba Graeca restituta sunt, confirmari uidetur, cum is qui tanto esset studio, ut Ciceronem adhiberet, voculam *an* uix omissurus esset.

[143] Item c. 21 (p. 115, 16) D *datus est muneri* pro *muneri datus est* testatur. Idem uerborum ordo in V scriptus est, sed eadem manus ut censeo, cum secundam manum in V non nouerim, genuinum ordinem indicauit.

[144] Vide supra p. 95 sq.

[145] Lectio duplex in Hersfeldensi; uide supra p. 79 sq.

[146] Vide supra p. 75.

Firmius etiam argumentum in c. 4 (p. 103, 8) inueni, ubi in codicibus **B D** uerbum *aliquid* omissum est, codices **V L** autem *diligenter aliquid* pro *aliquid diligenter* testantur. Vnde cuiuis apparet uerbum *aliquid* in β, communi archetypo librorum **B D V L**, ita incertae fuisse sedis, ut ex **B D** omnino delapsum sit, in **V L** autem alieno loco restitutum sit.[147] Adde quod c. 4 (p. 104, 10) **V** *grammatici* (=**B I**) testatur, **D** cum ceteris libris (*grammaticę* **G**) *grammaticis* exhibet.

5. De Codicibvs V L et praecipve de Correctoris Manv in L disseritvr

Leidensis codex, ut supra (p. 32) dixi, apographon illius codicis deperditi est, quem a. 1460 exarauit Iouianus Pontanus. Quaerendum est utrum Pontani codex, Hauniensis codicis archetypum, Vaticanus 1862, quasi tres filii codicis λ habendi sint, an artior aliqua necessitudo inter Pontani librum et Vaticanum sit statuenda. B. Seppius[148] Leidensem codicem (quem ipsum a Pontano transcriptum iudicauit) Vaticani 1862 esse apographon demonstrare conatus est, sed nihil probauit nisi hos duos codices simillimos esse, quod quidem nemo umquam negauit. Pontani exemplar Vaticani esse apographon non credo, sed nolo Reifferscheidium et Wissowam hanc rem probauisse. Ille[149] quidem Trossi socordia ad falsa concludenda inductus unum solum infelicissimum exemplum ad opinionem suam confirmandam protulit. Nam c. 2 (p. 100, 15), cum Trossius de Leidensis lectione tacuisset, neque Ritschelius uerum declarasset, Reifferscheidius Leidensem codicem sic ut ceteros *ac* hoc loco testari et solum **V** lectionem falsam *et* exhibere existimauit. Sed re uera *et* non solum in **V** sed etiam in **L B D**, h. e. tota stirpe β, legitur, ut supra (p. 117) indicaui. Wissowa Pontani codicem Vaticani esse apographon negauit, sed quo pacto id probauisse sibi uisus sit, prorsus nescio.[150] Reifferscheidium Wissowamque nihilo minus ueram protulisse opinionem existimo, quam ad confirmandam nonnulla argumenta repperi. Hae lectionum discrepantiae inter **L** et **V** demonstrare mihi uidentur **L** nullo modo ex **V** deriuari potuisse.

	L	V
c. 4, p. 104, 10	grammaticis	grammatici
c. 10, p. 108, 15	uendicauit	uindicauit
c. 14, p. 111, 13	criticus (e supra; e *ab eadem manu*)	criticus

[147] Non infitior quandam esse confusionem non semel tantum in testimoniis codicum **B** et **D**, quam extricare nequeo. Si *aliquid* in codice β primitus omissum deinde in margine uel supra uersum scriptum erat, quod factum esse puto, existimemus necesse est, codicem λ ex quo fluxerunt **D V L** eundem errorem qui fuisset in β transcripsisse, h. e. *aliquid* in margine uel supra uersum reliquisse.

[148] *Philologus* LXII (1903) p. 292 sq.

[149] *Quaest. Suet.* p. 414.

[150] Wissowa, *op. cit.* p. XVIII ad. fin.

	L	V
c. 16, p. 112, 16	Satti (r *ab eadem manu*)	Satti
p. 113, 8	uersiculis (*corr. in* uersiculus *m.3*)	uersicul'
c. 28, p. 124, 14	māc̄ino	Nuncino

Has lectiones in Pontani exemplari uel in ipso **L** originem haduisse non credo. *Satti* (r) ad ipsum Hersfeldensem,[151] *criticus* (e), *mancino* uel ad Hersfeldensem[152] uel saltem ad codicem **Y** referenda esse, ut opinor, iam demonstraui. In stirpe β solus **V** *uindicauit* testatur, **B D** cum **L** *uendicauti* exhibent, ita ut haec lectio codici β si non ipsi **Y**, cum tota stirps α quoque *uendicauit* ostendat, referenda sit. *Grammatici* librario **V**, ut mihi uidetur, attribuendum est, cum alibi non nisi in **B I** inueniatur. Quid, quod Pontanus hoc loco interpolationem introduxit, cum praepositionem *e* ante *ludo* scripsit, quod uix facturus erat, si *grammatici* in eo exemplari, quo usus est, inuenisset? *Versiculis* non nisi in **L B Q** se habet,[153] sed dubito an hoc sorti attribui possit, cum, nisi fallor, haec lectio uel sine libris restituenda sit. Namque si totum locum examinaueris, omnes codices melioris notae[154] in Domiti Marsi uersiculo uerbum *Et* ante *Epirota* exhibere perspicies. Quod certe in uersu metro inuito stare non potest, neque tamen meo iudicio uox nihili habendum est. Mihi quidem clarius luce apparet Suetonium non unum sed duos uersiculos protulisse, quorum prior de Epitora Vergili interprete ageret, alter eiusdem in aliis poetis nouis interpretandis studia commemoraret. Prior autem uersus delapsus est; uocula *te* quae olim duos uersiculos iungebat tamquam pars alterius uersus in textu permansit. Locum sic restituo:[155] *quod etiam Domiti Marsi uersiculis indicat<ur>:*

< * * * * >

Et:

Epirota, tenellorum nutricula uatum.

Altera autem est quaestio utrum **V L** filii an nepotes codicis λ habendi sint, cum hi duo nonnullas lectiones, quae in **D** et ceteris fere libris non inueniuntur, habeant. Nil haereo in c. 25 (p. 122, 22) *Rescogniti sunt*[156] et c. 30 (p. 127, 1) *excanduisse et ut*,[157] cum his locis **V L** codicis **Y** lectiones seruare putem. C. 25 (p. 119, 10) etiam *paululo* (= **X M C**) testantes genuinam lec-

[151] Vide supra, p. 75.

[152] Vide supra p. 97; p. 101.

[153] In **Q** sine dubio e Pontani codice acceptum. Vide infra p. 180 sq. Codex **K** *uersiculi* exhibet, ceteri omnes *uersiculus*.

[154] In interpolatioribus libris **H C Δ Q** *Et* omissum est. In **L** tertia manus deleuit.

[155] Cf. c. 12 (p. 110, 8) *et rursus:*

[156] Vide supra p. 91.

[157] Vide supra p. 107.

tionem exhibere mihi uidentur. Neque argumentum e *M. Melissus* pro *C. Melissus* in indice (p. 98, 19) deduci potest, cum in **D** index deficiat. Sunt tamen nonnullae aliae lectiones quae indicare uidentur alterum codicem inter **V L** et λ ponendum esse. Quae fere sunt: c. 3 (p. 102, 9) *Precia* **V** (= **G I C**) *pcia* **L** (= **K**) pro *pretia*; c. 4 (p. 103, 8) *diligenter aliquid* pro *aliquid diligenter*, cuius erroris originem supra (p. 128) docui; c. 7 (p. 105, 14) *Scythabachionis*;[158] c. 8 (p. 106, 16) *autoris*; c. 11 (109, 2) *autor*;[159] c. 11 (p. 110, 15) *crateris* **V** (= **M K U Q**) *crateri* **L**; c. 14 (p. 111, 18) *molliciam*,[160] (p. 111, 9) *Dolabellam*[161] (= α **K**); c. 17 (p. 113, 18) *sestertia* (= **N Gm.2 H**) pro *sextertia* in ceteris, (p. 115, 19) *condicionem* (= **K**); c. 25 (p. 120, 3) *.Gn.* (= **H Q**). Sed haec exempla maximam partem ad orthographiam pertinent, et uehementer dubito an quisquam de hac re ad certum iudicium ueniat. Neque infitior temporis rationem tam multos codices inter Pontani exemplar et Hersfeldensem codicem intercedere negare uideri. Cum Decembrius codicem Hersfeldensem a. 1455 Romae uidit, *Agricola* nondum recisus erat, quod demonstrare uidetur duo apographa **X** et **Y** postea transcripta esse, cum *Agricola*, quod iudicare possimus, in neutro locum obtineret. Pontanus autem librum suum anno 1460 exscripsit. Quae cum ita sint, haud scio an temere tam multos libros per hos quinque annos scriptos esse, ut Pontani codex non quarto sed quinto etiam gradu ex Hersfeldensi proflueret, statuamus. Tutius igitur uisum est codices **V L** et codicis **D** archetypum ut primo gradu e codice λ emanantes in stemmate indicare.

Codex Vaticanus 1862 insigne nobis ostendit exemplum studi et peritiae librari alicuius qui interpolationibus omnino uel fere abstinens exemplar suum religiosissime exscripsit et uix unum quidem errorem admisit. Ne unum quidem uerbum omissum, nisi ea quae in eius archetypo deficiebant, in hoc codice inuenies, et uitiis sui ipsius propriis adeo caret, ut affirmare non dubitem, si libellus Suetonianus unius solius codicis opera restituendus esset, hunc codicem ceteris praeferendum fuisse. Quae cum ita sint, non magnopere miror Reifferscheidium singulari eius bonitate et sinceritate captatum ducem primarium in Suetonio recensendo repperisse sibi uisum esse. Neque ipse codex **V**, etiam si nullo modo eiusdem est preti ac Reifferscheidius iudicauit, est incusandus, sed multo magis maiorum peccatis laborare habendus est. Haec codicis sinceritas eo magis est admiranda, quo eius librarius interpolationem uelut professus est, quippe qui ad *Dialogi* finem scripserit: "*Ego tantum repperi et meliusculum feci.*" Sed sine dubio cum Michaelisio iudicare debemus uim huius enuntiati in illo deminutiuo latere. Quo igitur referendum est illud *meliusculum*? Hunc librarium c. 4 (p.

[158] Vide supra p. 117.

[159] Cf. tamen c. 30 (p. 127, 4) *auctorem* **V** *autorem* **L.**

[160] Vide supra p. 98.

[161] Vide supra p. 104.

104, 10) *grammatici* e *grammaticis* correxisse, c. 10 (p. 108, 15) suae sectae scripturam *uendicauit* respuentem *uindicauit* restituisse, fortasse etiam c. 16 (p. 113, 8) *uersiculus* pro *uersiculis* scripsisse supra iudicaui.[162] C. 2 (p. 100, 18) *ualetudinis* (= O Wm.1) pro *ualitudinis* bene scripsit. Propriam orthographiae rationem passim secutus esse uidetur, ut c. 4 (p. 103, 26) *nichilo*; c. 14 (p. 111, 9) *Nichil* (= I); c. 24 (p. 118, 13) *nichilo* (= I); c. 29 (p. 125, 11) *nichil*; c. 14 (p. 111, 17, p. 112, 2) *michi*; c. 26 (p. 123, 9) *michi*. Quandam antiquitatem affectare uoluit c. 2 (p. 101, 1) *diuolgata* (= M C); c. 8 (p. 106, 15) *uolgandosque* (= B Q *uolgatosque* M F); c. 25 (p. 119, 5) *uolgares* (= M C) scribens, quas formas quamquam in Hersfeldensi codice se habere vix potuerunt, et a Suetoni aetatis usu abhorrent, Reifferscheidius huius codicis auctoritate fretus edere non dubitauit. Multi alii loci aperte demonstrant librarium V orthographiam exemplaris summa religione non secutum esse, ut c. 2 (p. 101, 7) *pronunciabat*[163] (= K H); c. 3 (p. 102, 14) *Efitio* (= Q) pro *Aeficio* (*aefitio* W *efficio* B); c. 4 (p. 103, 6) *Cor.*;[164] c. 11 (p. 109, 19) *Dyctinna*[165] (= M); c. 11 (p. 109, 21) *Thusculana* (= K), (p. 110, 9) *Thusculanum* (= K); c. 17 (p. 113, 16) *palacium*, (p. 113, 19) *Tyberio* (= O I K Q); c. 22 (p. 116, 15) *Tyberium* (= H Q *Tyberius* O); c. 23 (p. 117, 4) *Tyberio* (= O H Q); c. 23 (p. 118, 5) *ablygurire*; c. 25 (p. 120, 3) *Enobarbus* (= K H U C Δ Q) pro *Aenobarbus* in exemplari, (p. 120, 4) *renunciatum* (= K H); c. 25 (p. 121, 3) *Gneum* (= *Gn.* B L M K H Q); c. 29 (p. 124, 20) *amicicia* (= G B H). Idem librarius V saepius in bonam partem orthographiam uel mutauit uel ueram scripturam reliquit: index (p. 99, 6) *Albucius* (= X); c. 2 (p. 101, 8) *Saturas* (= W N I H C); c. 14 (p. 111, 11) *Niciam* (= O N D K U), (p. 111, 15) *Nicia* (= O W D N M U Δ); c. 17 (p. 113, 20) *hemicyclium*[166] (= N G); c. 20 (p. 115, 3) *Hyginus* (V *phryginus*) (= B);[167] c. 30 (p. 126, 12) *condicionem* (= W), (p. 127, 7) *contionantis* (= O W N H C Δ). Hunc codicem ueram formam una littera *i* scriptam genetiui singularis eorum nominum propriorum, quorum nominatiuus singularis in *-ius* desinit, fere semper adhibere, saepius cum W consentientem, nonnumquam etiam contra ceterorum omnium testimonia supra (p. 65) demonstraui. Sed nullo modo in libro tam longe a communi archetypo remoto, praesertim cum tam multas formas consulte immutatas praebeat, pro certo iudicare possis tales bonas scripturas ex ipso Hersfeldensi manauisse. Animaduerte quoque praepositionum in uerbis compositis sincere scriptarum, quae fere certo iudicio Hersfeldensi codici uindicari possunt, nullum

[162] Vide supra p. 129.

[163] Perperam Reifferscheidius testimonia librorum O N G I in apparatu profert.

[164] Non notat Reifferscheidius in apparatu.

[165] Vide supra p. 108.

[166] Vide supra p. 104.

[167] Vide supra p. 99.

exemplum nisi quae in compluribus aliis codicibus inueniuntur [168] praebet V. Praeterea una *i* in tertia persona singulari perfecti actiui in talibus uerbis qualia *petit*, praeter c. 9 (p. 106, 21) *repetit*, ubi omnes libri praeter **L K** (om. **U**) hanc formam conseruant, nusquam in **V** apparet.[169] Neque talem formam qualis est *obicit* hoc in codice inuenies.[170] Errores quos librarii inconsulto uulgo facerent, in hoc codice tantum non uidebis. Vnum solum deprehendi, in indice (p. 99, 16) *Flabius*, nisi quod c. 9 (p. 107, 11) in *stestimonium* primitus scripto prior *s* postea deleta est; c. 21 (p. 115, 16) *datus est muneri* scriptum est, signis supra positis ad uerum ordinem indicandum; c. 25 (p. 120, 12) *facieundum* littera *e* uirgula inducta inuenitur; c. 26 (p. 123, 12) *quadam* in *quā* est correctum.

Codex Leidensis, quamquam uerbis omissis[171] fere caret, neque eis uitiis quae e librari imperitia aut neglegentia oriuntur maculatus est, manus emendatrices Iouiani Pontani aliorumque doctorum Italorum satis multis locis perpessus est. Vt uerbis Wissowae utar:[172] "Primarium codicis Leidensis pretium in eo constitutum est, quod insigne nobis praebet documentum studiorum a doctis Italis renascentium litterarum aeuo in transscribendis explicandis emendandis scriptoribus antiquis nuper repertis positorum." Interpolationes uel correctiones in hoc codice tripertite distinguendae sunt; primo quas in ipsius Leidensis archetypum suscepit Pontanus, deinde quas fecit librarius ipsius **L**, qui et ipse vir doctus fuisse uidetur; denique quae posterioribus correctoribus debentur.

Nullam certam legem ad diiudicandum quae in hoc libro lectiones peculiares Pontano, quae autem ipsius codicis **L** librario debeantur, inuenio. Wissowa (p. XXVI) eas emendationes quas librarius **L** post librum scriptum fecit non Pontani esse coniecturas sed ab ipso librario propositas esse omni probabilitate coniecit; sed contrarium, omnes lectiones in textu se habentes Pontano attribui debere, non sequitur.[173] Manus emendatrix ab ipsa inscriptione orsa est, ubi pro *De Grammaticis et Rhetoribus*, *De uiris illustribus* substituit,[174] et alia mutauit.[175] Subscriptio quoque, *Amplius repertum non est ad huc. desunt rhetores XI* a pristina forma longe discedit. Wissowa (p. XXIII) librarium **L** orthographiae rationem Pontanianam

[168] Vide supra p. 66.

[169] Excipiendum est c. 5 (p. 104, 21) *obisse* (= **W D L G Q**).

[170] Vide supra p. 67.

[171] Verba omissa in **L** praeter ea quae in tota stirpe β (uide supra p. 118) deficiunt haec sunt: c. 4 (p. 103, 23) *et* (= **C** Δ **Q**); c. 7 (p. 105, 20) *adhuc*; c. 9 (p. 106, 21) *non*; c. 23 (p. 118, 3) *qui eum* (*qui cum eum* Reiff.)

[172] *Op. cit.* p. XXXII.

[173] Vide infra p. 181 ad fin.

[174] Hoc Pontano attribuendum est, ut nota illa marginalis ad libri initium (uide supra p. 19) docet.

[175] Vide supra p. 116; p. 61 sq.

nobis ex autographis operum eius libris et ex eius tractatu de aspiratione sub idem fere tempus, quo haec opuscula exarauit, composito cognitam secutum esse iudicauit. Haec fere uel Pontanus uel ipsius codicis **L** librarius bene emendauit:[176] c. 4 (p. 103, 13) *ticida* pro *tigida*; c. 10 (p. 108, 3) *sallustii* pro *salustii*, (p. 108, 8) *Laelium* (= **M F** *Lęlium* **G I U**) pro *Lelium*, (p. 108, 21) *sallustium* pro *salustium*, (p. 109, 2) *sallustio* pro *salustio*; c. 11 (p. 110, 4) *sit sapientiam* (= **H Q F**) pro *sapientiam sit*, (p. 110, 5) *cauliculi* pro *calculi*;[177] c. 21 (p. 116, 4) *iocorum* pro *locorum*;[178] c. 22 (p. 116, 19) *Gallus* (= *a* **H U Q**) pro *gallius*; c. 23 (p. 117, 14) *pepercisse* pro *parcisse* [vs]; c. 25 (p. 119, 13) *messala* (= **Q**) pro *sala*, (p. 122, 6) *exoluerunt* (= **H U** *exsoluerunt* **D**)[179] pro *exoluerint*. Pauca alia haud inepte, sed dubito an uere correcta sunt: c. 6 (p. 105, 4) *simul* (= **U Q**) pro *simulque*;[180] c. 11 (p. 110, 2) *custodis* pro *custodes*;[181] c. 21 (p. 116, 5) *inscribuntur*[182] (= **G**) pro *scribuntur*; c. 27 (p. 124, 1) *otacilius* pro *Oltacilius*.[183] Multa plura temere mutata sunt, quae omnia hic proferre non est operae pretium. Praenomina in capitum initiis semper exscripta sunt; c. 12 (p. 110, 16) *Corn.* (= *Cor.* **O**) pro *Cornelii*; c. 14 (p. 111, 5) *Gn.* (= **Q** *Gneo* **U F**) pro *Cn.*; c. 17 (p. 113, 15) *Aug.* pro *Augusto* ineniuntur. Alia exempla hic habes: Index (p. 99, 2) *pilatus* pro *pilutus*; c. 3 (p. 102, 6) *Post hos* pro *Post hoc*,[184] (p. 102, 11) *Lęneus*[185] pro *Leuius*; c. 4 (p. 104, 6) *reputo* (= **Q**) pro *repeto*, (p. 104, 10) *e grammaticis statim e ludo* pro *e grammaticis statim ludo*;[186] c. 7 (p. 105, 14) *dionis* pro *Dionysi*, (p. 106,

[176] Secundo loco eas lectiones profero, quas Pontanus uel librarius **L** in exemplari quo usus est legere debebat.

[177] Vide supra p. 97.

[178] Vide supra p. 118.

[179] Vide supra p. 125 adn. 134.

[180] Trossius, Osannus, Rothius huius codicis auctoritate *simul* ediderunt; Reifferscheidius *simulque* restituit, sed locus ut nunc stat uix legi potest. Vahlenus in exemplari Reifferscheidiano suo, c. 8 (p. 106, 11) *ibique in otio uixit et multa composuit* conferens, comma post *consenuit* deleuit ita, ut hic sensus fiat: *simul et consenuit et composuit.* Sed, ni omnia me fallunt, *simul* non ad sequentia sed ad *Rutilium* referendum est, nam Rutilius quoque Smyrnae consenuit, ut est apud Orosium V 17, 12-13: "Rutilius quoque uir integerrimus . . . qui Smyrnam commigrans litterarum studiis intentus consenuit." Mihi quidem haud dubium uidetur lacunam post *Smyrnae* statuendam esse, quam sic fere expleam: *ibidem Smyrnae* <*uixit una familiarissime*> (cf. c. 16, p. 112, 19) *simulque consenuit; composuitque. . . .* G. Kruger, *Neue Jahrbb.* LXXXV (1862) p. 852, uerba sic transponere uoluit: *in Asiam secutus Zmyrnae consenuit simulque ibidem composuit.*

[181] Ios. Scaliger, Pithoeus, Burmannus Iun., Weichertus in Anthologiis, quos secutus est Reifferscheidius, sic ediderunt: *Custodes uidet hortuli Priapos.* Statius *custodis* proposuit, quod Casaubonus omnesque sequentes ediderunt. Cum Hersfeldensis lectio nullo modo stare possit, prior emendandi ratio longe praestantior mihi uidetur.

[182] Vide supra p. 111 adn. 65.

[183] Vide supra p. 93 sq.

[184] Vide supra adn. 176.

[185] Vide infra p. 181.

[186] Vide supra p. 129.

3) *Atteius* pro *Ateius*; c. 14 (p. 111, 8) *magr* (=*magister* Q) pro *M.*, (p. 111, 13) *obelixi* (= Q) pro *obelizi*; c. 17 (p. 114, 1) *publicauerat* pro *publicarat*; c. 27 (p. 124, 3) *studia* pro *studium*; c. 30 (p. 126, 5) *tam non* pro *tantum non*, (p. 126, 10) *optulisset* (= G) pro *obtulisset*. C. 30 (p. 127, 3) corruptum illud *yspeū*[187] in *ipseū* immutauit Pontanus, scilicet ut Latino uerbo similius uideretur, ut est Reifferscheidi opinio. C. 28 (p. 124, 14) dubito an recte *mācino*[188] Pontani coniecturae attribuerit Wissowa (p. XX).

Librarius qui ipsum Leidensem exarauit nonnullos errores quos in scribendo fecerat, uel inter scribendum uel in relegendo correxit: c. 4 (p. 104, 9) *patrum nrorū* pro *patrum* scripsit, deinde *nrorū* ut delendum lineola supposita notauit; c. 6 (p. 105, 10) *duas lras* scripsit, *lras* statim perleuit; c. 9 (p. 106, 18) *peremptorū* primitus scripsit, deinde *per* induxit et *iter* supra uersum addidit. Idem librarius post librum scriptum miniatoris officio functus est, quae omnia accuratissime in commentatione sua (p. XXVI sq.) descripsit Georgius Wissowa.[189]

Nonnullas etiam coniecturas suo Marte temptauit librarius **L**. C. 1 (p. 100, 8) corruptam lectionem codicum **D V L** propriam *preallegabant* tribus punctis suppositis ut delendam notauit, atque ueram formam *plegebāt* supra uersum restituit; c. 1 (p. 100, 7) ubi corruptum *adnotum est* Pontanus *at notum ē* scribens etiam corruptius effecerat, uoculam *at*, cui primitus crucem desperationis adfixerat, perleuit atque *ac* supra uersum inter *ē* et

[187] Vide supra p. 123.

[188] Vide supra p. 101.

[189] Minus tamen accurate huius librari opus in M. Epidi uita (c. 28) enarrauisse mihi uidetur Wissowa haec (p. XXVII adn. 1) scribens: "f. 58r cum M. Epidii vitam (c. 28) a praecedente separare in scribendo neglexisset, postea litteram initialem in medio versu miniavit." Namque librarius Epidi uitam a praecedente separare neglexisse uix dici potest, siquidem cum in exemplari quo usus est hic librarius tum in ipso Hersfeldensi codice nullum erat caput hoc loco a praecedente distinctum. In omnibus libris nostris melioris notae distinctionis signa post *solitam* ita posita sunt, ut locus sic legatur: *solitam. Ad id tempus Epidius* (praenomine *M.* omisso). Codices **B K C H** autem nulla omnino distinctionis signa habent, cum in **I** tale quid locum obtinet: *solitā/Ad id tpš. Epidius.* Sed caput a praecedente distinctum in solo **G** inuenitur, cuius librarius ab exemplaris sui memoria discessisse plane coarguitur, cum primitus *Ad* in eodem uersu ac uerba praecedentia scripserit, deinde uerbo *Ad* radendo deleto in uersu sequente *AD ID TEMPVS EPIDIVS* litteris maiusculis scribens nouum caput indicauerit. Hoc loco in Leidensi codice phototypice depicto saepius examinato compertum habeo librarium **L** eandem rationem ac librarium **G** olim secutum caput a praecedente distinctum confecisse. Nam in promptu est uerbum *ad* primum uersus locum obtinens in rasura supra litteram maiusculam *D* scriptum esse, et litterae maiusculae *A* a sinistra ex ordine in marginem extantis uestigia satis distincta apparere. Quae cum ita sint, librarius primitus *AD id tempus epidius* scripsit, deinde, si Wissowa librarium et miniatorem unum atque eundem fuisse recte iudicauit, uerbo *AD* radendo deleto *ad* supra *D* in rasura scripsit; item litteram *e* in *epidius*, cuius uestigia etiam decerni possunt, erasit atque litteram maiusculam *E* minio supra pinxit. Punctum tamen post *solitam* in praecedente uersu non sustulit, neque distinctionis signum post *tempus* posuit.

nihil addidit. C. 2 (p. 101, 2) ad *retractarent* coniecturam *retrectarent* littera *e* supra *a* scripta proposuit; c. 2 (p. 101, 7) ubi omnes codices praeter **W** falso *uectius* (*uettius* **O**) *.Q. philocomus* (uel *philoconius*) pro *Vettiusque Philocomus* testantur, uoculam *et* inter *uectius* et *.Q.* supra uersum scripsit. Eidem librario c. 4 (p. 103, 13) *ne* in *nec* correctum attribuo. His etiam locis lectiones, quas in exemplari reppererat atque primitus transcripserat, postea bene correxit: c. 3. (p. 102, 13) in *Catullo*[190] priorem litteram *l* expunxit; c. 17 (p. 113, 10) *claruit* in *inclaruit*[191] correxit; c. 25 (p. 120, 11) *ī iis*,[192] expunxit *ī*; c. 28 (p. 124, 13) in *epidici* litteram *c* ut delendam notauit. Adde quod c. 20 (p. 115, 7) in *polyhistorem* littera *h*, et c. 25 (p. 122, 22) in *rescogniti*[193] littera *s* expungendis medelam adferre sibi uisus est.[194] Caue tamen ne omnia, quae hic librarius supra uersum scripsit, pro eiusdem coniecturis capias, cum nonnullae lectionum uarietates quae in Hersfeldensi libro uel in codice **Y** se habebant in hunc quoque codicem manauerint,[195] uelut c. 16, (p. 112, 16) *Sati*.[196]

Tres posteriorum manus in ea parte huius codicis, qua libellus Suetonianus continetur, uiri docti distinguunt, quorum unam semel modo in libelli initio inuenies. C. 1 (p. 100, 3) ubi Pontani (?) coniectura (*studiis* uerius coniecisse uidetur Schoenemannus quam Wissowa *artibus*) olim extabat, haec manus ueram scripturam *disciplinis*, cuius uerbi litterae *-nis* a bibliopega resectae sunt, margini adiecit. Corrector posterior autem, quem *m.3* nomino, Pontani coniecturam radendo deleuit atque lectionem marginalem compendiose *discipℓis* in rasura scripsit. Temere Schoenemannus compendium *discipℓis*, quod corrector in rasura scripsit, non *disciplinis* sed *discipulis* significare iudicauit.[197]

Altera est manus eius quem Wissowa glossatorem (B^1) nominat, ego signo *m.2* indico. Haec manus calami ductu aliquantulo exiliore atque litterarum formis acutioribus quam quae in textu leguntur insignis est. Hic glossator notas satis frequentes in margine scripsit, ita ut indiculos argumenti exhiberet, uoces locutionesque inusitatiores nomina propria quoque atque rerum memorabiliorum mentiones enotaret. Haec manus in *Germania* nulla uidetur, in Suetonio autem cum f. 50^v (c. 9, p. 107, 1) uerbo

[190] Vide infra p. 136.

[191] Vide infra p. 181 ad fin.

[192] Vide supra p. 93.

[193] Vide supra p. 88.

[194] C. 3 (p. 102, 11) ubi librarius *l* litteram in *mellissus* expunxit sui ipsius erroris correxisse potius habendus est, cum *melissus* in **V D** exhibeatur; *mellissus* tamen in **B**.

[195] Vide supra p. 95 sq. C. 9 (p. 107, 19) *marmoreo* (a supra o) (= **G**) prorsus in dubio habendum est (uide supra p. 111 ad finem).

[196] Vide supra p. 75.

[197] Idem fere compendium in **H** hoc loco uidetur.

persenex[198] margini adscripto desinit. Qua de manu, cuius accuratiorem descriptionem in Georgi Wissowae docta et copiosa commentatione (p. XXVIII) inuenies, cum correctionibus omnino abstinuisse uideatur, nihil est quod plura dicam.

Tertia est manus, quam *m.3* appello,[199] eius qui et glossatoris et correctoris officio functus est. Haec manus formis litterarum diuersis ductu calami crassiore atramento pallidiore insignis raro fallit. Omnes tres libellos *Dialogum*, *Germaniam*, fragmentum Suetonianum cum notis marginalibus eiusdem fere generis ac m.2 instruxit, tum, quod nostra multo magis interest, ipsi contextui medelam afferre conatus est. Alicuius uiri docti opus hic uideri, notae marginales quales ad c. 11 (p. 109, 12 sq.) *Cato poeta de quo catullus et ouidius*, ad c. 21 (p. 116, 7) *Togatae Trabeatae* aperte demonstrant. Neque illum linguae Graecae ignarum fuisse e c. 11 (p. 109, 21) perspicitur, ubi *geo* supra *gurgustio* scripsit, margini autem haec adiecit: ΓεωρΓῶ *colo îrâ*. Corrector m.3 uno quidem loco glossatoris m.2 notam marginalem immutauit,[200] unde illum hoc esse posteriorem colligitur: c. 3 (p. 103, 2) ubi m.2 *Sescenīus* in margine scripserat, m.3 litteram *F* praemisit.[201] Eadem manus c. 3 (p. 102, 13) *Catullo*, c. 25 (p. 122, 22) *rescogniti sunt*, c. 28 (p. 124, 13) *epidici*, singulis litteris *l s c* uirgulis inductis easdem emendationes repetiit quas olim fecerat ipse librarius.[202] C. 20 (p. 115, 3) etiam alteram lectionem ex Hersfeldensi prouenientem *fri* [203] supra uersum scriptam uirgulis perleuit. Quae manus c. 29 (p. 125, 6) *falsum* in *salsum* radendo correxerit uix praestare possis. Ceteras emendationes uel interpolationes a m.3 factas, quo facilius diiudicare possis, num quid de eorum fonte colligi possit, tabulis infra expono. Lectiones genuinas litteris Italicis, quae uocantur, indicaui:

	L	L*m3*. ω
c. 1, p. 100, 3	studiis (?)	disciplis (*disciplinis*)
c. 30, p. 127, 2	redigerent (= Q)[204]	*redigeretur*
	L B	L*m.3* ω
c. 16, p. 113, 8	*uersiculis*[205]	uersiculus (uersiculi K)
	L V D (= Q)	L*m.3* ω
c. 25, p. 121, 11	profluit	*profluxit*

[198] Wissowa *persenex* huic manui attribuit. Dubium mihi uidetur, cum calami ductus consuetudine sit crassior.

[199] Wissowa B^2.

[200] Idem bis in *Dialogo* factum est teste Wissowa (p. XXIX ad fin.).

[201] In textu *fescennius* se habet, unde uix fieri poterat ut littera *f* ex *s* ab eadem m.3 non mutata sit, quamquam talis correctio oculis non apparet.

[202] Vide supra p. 135.

[203] Pontanus *phry-* in *fri-* immutauisse uidetur. In indice quoque *friginus* exhibetur.

[204] Vide infra p. 180 sq.

[205] Vide supra p. 129.

	L ω	Lm.3 X
c. 2, p. 101, 12	gener .Q.[206]	*generque*
c. 15, p. 112, 13	surreptus L subreptus ω subrectus α	surreptis
	L ω	Lm.3 α
c. 11, p. 109, 12	syren L ω (latinas) irem O (latinas) item W	siren
c. 30, p. 127, 1	excanduisse et ut L ω excanduisset ut X B D	excanduisse ut[207]
	L ω	Lm.3 H C Δ Q
c. 16, p. 113, 9	Et Epirota[208]	Epirota
	L ω	Lm.3 B M C Δ
c. 25, p. 122, 5	*anasceuas* (*nas**euas* I)	anascenas (anastenas M)
	L ω	Lm.3 B M
c. 25, p. 122, 5	*catasceuas*	catascenas Lm.3 cathascenas B catastenas M
	L ω	Lm.3
c. 3, p. 103, 2	Sescennius (Siscennius γ)	fescennius[209]
c. 11, p. 109, 21	*gurgustio*	(geo) gurgustio
p. 110, 3	*Miratur* (Mirator C)	Miretur
c. 18, p. 114, 12	in iis β α *in his* X K H U Q in hos C Δ	et in iis
c. 23, p. 117, 1	*textrinum* (Texerinum N)	textrinus
c. 30, p. 126, 4	*tum*	(vt) tū

Huius correctoris emendationes in *Dialogo* et *Germania* multo frequentiores sunt quam in libello Suetoniano. Schoenemannus (p. 50 sq.) in *Dialogo* plus centum et uiginti quinque, in *Germania* autem plus septuaginta quinque emendationes ex hac manu fluentes enumerat. Quae lectiones in *Dialogo* et *Germania* maximam partem cum quibusdam libris manuscriptis deterioribus uelut Vindobonensi bibl. Caes. 49 in *Germania* et

[206] *q;* in L in rasura scripsit m.3. Prioris scripturae nullum est uestigium.
[207] Forsitan haec correctio ipsi librario uindicanda sit.
[208] Vide supra p. 129.
[209] Vide supra p. 136 adn. 201.

Dialogo, uel nostro Harleiano (H) et Parisino (P) in *Dialogo* solo conspirant; artius etiam uinculum habent cum ea *Germaniae* et *Dialogi* editione, quam Franciscus Puteolanus Mediolani a. 1475 prelo subiecit, uel cum altera eiusdem editione Venetiis a. 1497 typis descripta. Correctorem igitur emendationes, praeter quasdam uiginti quinque fere numero quae ex ipsius ingenio prodisse uideantur, ex aliquo codice hoc genus et e priore uel altera Puteolani editione promptas libris Taciteis adiecisse iudicauit. Eundem correctorem talia subsidia in Suetonio corrigendo habuisse, nemo, qui tabulam supra expositam perlustrauerit, credet, sed eas emendationes, ut modo in hoc modo in illo codice, saepius etiam in nullo inueniuntur, omnes e correctoris ingenio nullo libro uel manuscripto uel impresso adhibito prodisse facile concedet; quod etiam Schoenemannus optimo iure suspicatus est.

6. Stirps β in propriis Lectionibvs levi esse Avctoritate ivdicatvr

Restat ut nonnulla de fide stirpis β in lectionibus peculiaribus disseram, praesertim cum opinio mea tam longe ab opinione uirorum doctissimorum, qui fragmentum Suetonianum edendum curauerunt, discedat. Priores Suetoni editores paene quaesiuisse mihi uidentur, quot huius stirpis lectiones peculiares accipi possent, ego quidem, cum hos codices ex Hersfeldensi ea uia quam demonstraui originem traxisse persuasum habeam, quaero non quot lectiones accipi possint, sed quot accipias necesse sit.

Cum a. 1841 Ludouicus Trossius codicem Leidensem in lucem protulit, tanta erat nostri libelli codicum parsimonia, ut quidem uiris doctissimis id temporis uidebatur, editiones quae uulgo ferebantur tam foedissimis interpolationibus, quae uel nullius omnino codicis uel pessimorum modo codicum auctoritate nitebantur, maculatae erant, totus textus Suetonianus omnino tam incerto fundamento sedere uidebatur, ut nihil sit admirandum uiros doctissimos codicem Leidensem insignis esse bonitatis duxisse, atque ducem primarium, a quo paene omnis recensionis salus speranda esset, tandem repertum esse censuisse. Trossius igitur Leidensem codicem typis describi iussit. Osannus quoque et Rothius Leidensem omnium optimum habuerunt, quamuis paucos alios adhibuerint.[210]

Reifferscheidius maiore librorum manuscriptorum copia usus[211] Leidensem codicem multis Pontani aliorumque interpolationibus laborare recte perspexit, atque fidem quam priores Leidensi habuerant in eius patruum Va-

[210] Osannus praeter Leidensem hos codices adhibuit: Harleianum et eius apographon Parisinum, et Berolinensem, quem nemo antea contulerat. Hic codex autem ei fraudes fecit, cum eum ex L uel potius Pontani libro contaminatum esse (uide infra p. 180 sq.) non perspexerit, atque complures codicis L peculiares lectiones codicis Q testimonio confirmari existimauerit. Rothius praeter eosl ibros quos adhibuit Osannus Gudianum codicem in medium protulit.

[211] Hos codices adhibuit Reifferscheidius: Vaticanum 1862 (V), Leidensem (L), Neapolitanum (N), Gudianum (G), Vaticanum 1518 (I), Ottobonianum (O); quorum soli L G antea ad-

ticanum 1862 librum certe multo sinceriorem transtulit. Codici V nisi certa rei ratio repugnaret ubique oboediendum existimans, praeter c. 2 (p. 100, 14) *Aristarchi*, (p. 101, 12) *Ser.*; c. 4 (p. 104, 1) *ipsos*; c. 6 (p. 105, 8) *diuarum*; c. 18 (p. 114, 14) *ad Q.*; c. 20 (p. 115, 3) *Hyginus*, quae omnia uel sine libris adhibenda erant, has quoque totius stirpis β proprias lectiones suscepit: c. 2 (p. 101, 3) *et ceteris*; c. 4 (p. 104, 3) *alia*; c. 10 (p. 109, 2) *nil*; c. 15 (p. 112, 14) *domino* omis.; c. 17 (p. 113, 20) *inferiore*; c. 22 (p. 116, 13) *sibi sed*. Lectiones *ad Q.*[212] et *Hyginus*,[213] quae sunt testimonia ceterorum codicum, fere certa ratione Hersfeldensi codici uindicari possunt. Duplicem etiam lectionem *diuarum: duarum* in Hersfeldensi fuisse malim.[214] Tres reliquae lectiones quas pro bonis habeo, *Aristarchi*, *Ser.*, *ipsos*, non eo pacto edendae erant quo in Hersfeldensi archetypo essent, sed quod librarius β uerum coniectura assecutus esset. Quid autem de ceteris lectionibus a Reifferscheidio haud recte acceptis iudicandum est? C. 4 (p. 104, 3) *alia* antiquitus inde ab Aldo locum obtinet, sed quo iure ceterorum codicum lectioni *alias* (sc. *meditationes*)[215] praeferendum sit non uideo. Mihi quidem *alia* interpolatio satis inscita uidetur eiusdem notae ac c. 8 (p. 106, 8) *grammaticae*, et c. 26 (p. 123, 14) *hordinarium*, quae haec eadem stirps exhibet. Si c. 15 (p. 112, 14) *domino* omittas, eodem iure c. 13 (p. 111, 1) *litterarum* omittere possis, cum nullo in codice huius stirpis inueniatur. C. 10 (p. 109, 2) forma *nil* alibi apud Suetonium testante Ihmio[216] non inuenitur. Cur eum hoc solo loco *nil* scripsisse iudicauerimus, cum familia **X** et stirps α *nihil* ostendant? Nemo, ut opinor, c. 2 (p. 101, 3) *et* meliorem lectionem quam *etiam* praebere credet. C. 17 (p. 113, 20) in scriptura *inferiore* non de Latinitate sed de ipsa re agitur, quam ad diiudicandam copiae nobis desunt, sed quo modo dubitari possit, quin *superiore* in Hersfeldensi codice extaret, non extrico.[217] Restat c. 22 (p. 116, 13), quem locum omnes post Casaubonum sic ediderunt: *quando non putat is cum aduersario de iure sibi, sed de soloecismo controuersiam futuram*. Pronomen *is* ad Cassi clientem, cuius aduersarius est Marcellus, sine dubio referendum est. *Sibi* igitur est uerbum

---

hibiti erant, nisi quod Achilles Statius in editione a. 1565 in medium emissa selectas lectiones ex V et I protulit. Vide supra p. 31.

[212] Vide supra p. 63.

[213] Vide supra p. 99.

[214] Vide supra p. 101. Huic opinioni repugnare uidetur quod librarius α nihil nisi *duarum* ante oculos habuisse uidetur (uide supra p. 108), siquidem alteram lectionem *duorum* proposuit, quod uix facturus erat si ueram quoque lectionem *diuarum* in exemplari Y legisset.

[215] Vide supra p. 90.

[216] *Op. cit.* p. 545.

[217] Ipse Reifferscheidius a Vahleno (1877, p. 3-4) incusatus quod *inferiore* edidisset postea (1877, p. 3-4) in incertum relinquendum confessus est utra esset uera scriptura. Sin nexum qui est inter nostros codices recte interpretatus sum, in incerto non est utra esset Hersfeldensis codicis scriptura.

leui momento, quod tam omitti quam addi poterat. Verba *de iure* uerbis *de soloecismo* opponuntur; sed, si illud *sibi* intercedit, tota uis huius oppositionis ruit, neque sententia aequabili lenitate profluit. Non tamen alterum uerborum ordinem *sed sibi*, licet is in Hersfeldensi codice fuisse uideatur,[218] restituere uolo, cum sensus prorsus diuersus fiat et nimis sit difficilis. Vt mihi uidetur, aut *sibi* ut interpolatio reiciendum est, aut, quod probabilius duco, ei loco quem sententia apertissime postulat, h. e. ante *controuersiam* restituendum est. Totum locum sic lego: *quando non putat is cum aduersario de iure, sed de soloecismo sibi controuersiam futuram.*

Nunc examinemus eas lectiones quae in λ communi codicum **D V L** archetypo exortae uidentur;[219] quarum has admisit Reifferscheidus: c. 4 (p. 103, 25) *iam*; c. 30 (p. 126, 4) *adornate*, (p. 126, 13) *sui*, quae omnia inde ab Aldo locum obtinent; c. 27 (p. 124, 3) *et studium*. Quid, quod idem Reifferscheidius c. 21 (p. 116, 1) ubi Hersfeldensis liber *Augusto etiam* recte testabatur, ut corruptelam *et*, quae in λ exorta est, retineret, *et Augusto* scribens interpolationem introducere non dubitauit! C. 4 (p. 103, 8) etiam *diligenter aliquid*, quod in **V** et **L** solis inuenitur, pro *aliquid diligenter* scripsit. Quae autem huius loci ratio habenda sit, siquidem *aliquid* in **B** et **D** omittitur, supra (p. 128) ostendi.

E quattuor huius stirpis codicibus duos solos **V** et **L** nouerat Reifferscheidius; **V** autem et Pontani codicem e communi archetypo, quod esset ipsum apographon eius libri[220] e quo omnes codices profluxissent, transcriptos esse existimabat. Nunc Bodleiano (**B**) et Hauniensi (**D**) in lucem prolatis non poteris non aliter de codicibus **V** et **L** iudicare. Nam, etiamsi in hoc perstiteris communem parentem librorum **B D V L** non e codice **Y** sed ex ipso Hersfeldensi esse transcriptum, infitiari non poteris Pontani librum et **V** non duobus sed tribus gradibus ab Hersfeldensi remotos esse. Sin autem, ut credo, satis demonstraui codices **B D V L** eidem familiae referendos esse cui omnes praeter **O W**, Pontani codicem et **V** quattuor gradibus ab Hersfeldensi remotos satis constat. Quid quod quadam probabilitate demonstrari potest hos duos codices ab Hersfeldensi non quattuor sed quinque gradus distare![221] Vt ad lectiones codicum **D V L** proprias redeam, si eisdem locis codex **B** cum ceteris libris facit, cauendum est ne has scripturas archetypo β, nedum codici **Y** uel libro Hersfeldensi, attribuamus. Quare hae lectiones, nisi quid ad textum ceterorum codicum manifesto corruptum sanandum adferunt, plane damnandae sunt. Sed earum lectionum

[218] Nescio quae perturbatio hoc loco in Hersfeldensi erat, cum in familia **X** uerba proxime praecedentia *cum aduersario de iure* deficiant.

[219] Vide supra p. 122 sq.

[220] Hunc librum non fuisse ipsum Hersfeldensem, sed eius apographon ab Enoch Romam reportatum censuit Reifferscheidius. Vide supra p. 71.

[221] Vide supra p. 129 sq.

quibus Reifferscheidius suffragatus est, quot ceteris codicibus medelam adferunt? Vna sola ut mihi uidetur, neque haec sine aliquo scrupulo suscipi potest. C. 30 (p. 126, 4) *adoranter*, quod in ceteris codicibus se habet, uix uera esse scriptura potest, *adornate* autem in **D V L** certe est melius, quamuis alterutrum sit *ἅπαξ λεγόμενον*.[222] Quid de c. 4 (p. 103, 25), *iam*, censerem supra (p. 83) dixi. C. 30 (p. 126, 13) *sui* ab eodem librario qui *personalem* pro *proconsulem* et *yspeū* pro *conspectu* scripsit, quippe cui Suetoni uerba *non sine magna sua inuidia*[223] haud satis perspicua uiderentur, interpolatum esse puto.

IIII. De Stirpe γ

1. Lectiones Stirpis γ propriae exhibentvr. Dvae Corrvptelae hvivs Stirpis Opera sanantvr.

Tertium fuit codicis **Y** apographon, quod γ nomino. Codex γ quamquam ipse periit satis numerosam et uitiosam reliquit progeniem codices Venetum (**M**) Ambrosianum (**K**) Harleianum (**H**) Parisinum (**P**) Vrbinatem (**U**) Cheltenhamensem (**C**) Florentinum (**F**) Vaticanum 4498 (**Δ**) Berolinensem (**Q**) complectentem.[224] In hac stirpe stabilienda ab ipsis inscriptionibus exordiar, quae aperte demonstrant libellum qui in Hersfeldensi codice unus[225] fuerit a librario γ bipertite distributum esse: *SVETONIVS TRANQVILLVS DE GRAM/MATICIS. LIBER. PRIMVS.* ante eam partem quae est de rhetoribus: *SVETONII TRANQVILI DE RHETORIBVS/ LIBER SECVNDVS* **M** nulla est inscriptio aut subscriptio[226] in **K**; *Suetonii tranquilli de grāmaticis & rhetoribus . . . Suetonii*

[222] Cf. tamen Cic. *De Off.* I 4: *Demosthenem . . . facere potuisse ornate splendideque.*

[223] Cf. *Aug.* 14: *non tamen sine magnis suis et ante bellum et in bello discriminibus*; *Vesp.* 22: *amore suo.*

[224] Nunc etiam inter codicis γ nepotes habendus est codex Neapolitanus IV. B. 4. bis (**S**), qui libellum bipertite diuisum habet, atque lectiones huius stirpis proprias fere omnes ostendit. Verae scripturae c. 17 (p. 114, 2) *publicarat*, c. 23 (p. 117, 16) *caperet*, c. 26 (p. 123, 13) *atratino*, in **S** reuocatae sunt. C. 11 (p. 109, 15) *prob^{ba}antur* in **S** scripturam *probabantur* codici γ uindicare uidetur, quamquam *probantur* in omnibus codicibus praeter **M K H** restitutum est. C. 14 (p. 111, 6) *memmio*, et c. 25 (p. 120, 11) *ita* in **S** leguntur. C. 27 (p. 124, 1) hic codex cum **M H** genuinam scripturam *uoltacilius* ostendit, et c. 14 (p. 111, 13) duplicem lectionem *cr^{i}eticus*, quam codici **Y** uel ipsi Hersfeldensi (uide supra p. 97) attribuo, conseruat. C. 14 (p. 111, 10) etiam ex *te pñte* in γ hic librarius *repente* effecit. Codex **S** indice caret. Vide et infra p. 152 adn. 256.

[225] Rothius (p. L) primus demonstrauit unum non duos fuisse libellum de grammaticis et rhetoribus, quod illud *quoque* in primis alterius partis uerbis aperte proderet: *Rhetorica quoque apud nos perinde atque grammatica.* Quae opinio Decembri testimonio confirmatur: *Suetonii tranquilli de grammaticis et rhetoribus liber. Incipit.*

[226] Titulus litteris cursiuis exaratus qui libro praemissus est: *Suetonius de Inlustribus Grammaticis et Rhetoribus:* itemque is qui *Dialogo* adiectus est: *Taciti uel Quinctiliani Dialogus An et quare suae aetatis oratores ueteribus concedant,* a manu multo recentiore confectus est, quam Sabbadinius (1903, p. 211) exeunti saeculo sexto decimo assignat. Mihi quidem hac aetate posterior uidetur.

tranquilli de grāmaticis liber primus/ explicit. Sequitur eiusdem de rhetoribus liber secundus **H**; eadem atque **H**, nisi quod litteris maiusculis exarantur, in priore autem inscriptione *LIBER INCIPIT* post *RHETORIBVS* habet **P**; *SVETONII. TRANQVILLI LIBEL/LVS. DE. VITIS. GRĀ-MATICOR$_x$... FINIS ... SVETONII. TRANQVILLI. LI/BEL-LVS. DE. VITIS. RHETHOR$_x$/ INCIPIT. FELICITER.* **U**; *CAI SVETONII TRANQVILLI:/ HISTORICI DE GRAMATICIS PROEM/IVM LIBRI PRIMI*, sequitur index grammaticorum...... *SVETONII TRANQVILLI HISTORICI/ DE RHETORIBVS LIBER SECVND/VS DE capitula*, sequitur index rhetorum **C** *.C. SVETONIVS TRANQVILLVS RHETOR DE :G/ GRAMMATI-CORVM VITA* (post c. 18 [p. 114, 4] *hic initio* deficit) **F**; *.C. Suetonii Tranquilli historici de Grāmaticis prohemium*, sequitur grammaticorum index ... *Suetonii Tranquilli historici de Rhetoribus Liber.11.*, sequitur rhetorum index Δ; *.C. SVETONII TRANQVILLI DE GRĀMA/TICIS ET RHETORIBVS INCIPIT... .C. SVETONII TRANQVILLI DE/ GRAMMATICIS LIBER FINIT*, spatio uacuo complurium uersuum relicto *EIVSDEM DE RHETORICIS LIBELLVS/ INCIPIT* **Q**.

In subscriptione est quidam consensus. Codex **M**, qui longe est optimus huius stirpis et archetypo proxime accedere habendus est, haec in margine ostendit: *non videtur integrum /hoc exemplar.* **H** in margine: *Hic antiquissimum exemplar/ finit & non integrum videtur.* **C**: *Hic antiquissimum/ finit exemplar/ quod non integr/um uidetur.* In **P** nihil nisi *SVETONII TRANQVILLI/ FINIS*; in **Q** *.FINIT.* In **U** Δ nulla omnino est subscriptio.

Lectiones huius stirpis peculiares tabulis infra conferens eam rationem sequor ut lectiones quas in ipso γ fuisse iudico exhibeam, etiam si in singulis uel compluribus codicibus uera scriptura coniectura restituta est.[227] Discrepantias inter singulos stirpis γ codices accurate adnotaui, sed eorum codicum quorum lectiones in dextra columna exhibentur minores discrepantias non semper protuli. Vicem inter litteras minusculas et maiusculas et litteras *ae* et *e* fere neglexi.

γ (**M K H P U C F** Δ **Q**) (*recte*)		ω
c. 3, p. 102, 15	conductus [228] (= **B**) *cett.* conductum **Q**	conductos ω conductus *in* conductos *mut.* **D** conductum **G**
c. 25, p. 120, 11	iis[229] (his Δ **Q**)	in iis (in *del. m.1* **L**) *a* **D V L** in his **X B**

[227] Vera scriptura saepissime in **Q** ad fidem codicis **L** uel Pontani exemplaris restituta est. Vide infra p. 180 sq.

[228] Lectio duplex; uide supra p. 79 sq.

[229] Vide supra p. 93.

	γ (M K H P U C Δ Q) (*recte*)	ω
c. 27, p. 124, 1	Voltacilius[229] M H Voltatilius K uolacilius U Volcatius C Δ VOLCATIVS Q	Oltacilius X V Octacilius α D ottacilius B otacilius L
	M C Δ (*falso*)[230]	ω
Index, p. 99, 11	Vergilius flauus	Verg. (Vergi G Vero B Virginius L) flauus
12	Vrsilus	Vrsulus
	γ (M K H P U C F Δ Q) (*falso*)	ω
c. 1, p. 100, 2	rudis ac M K C rudi ac H U Δ Q (=B)	rudi scilicet ac (.s. rudi ac I)
8	At siquidem M K C ac siquidem Δ at siquid H U Ac siquid Q	aut siquid
c. 2, p. 101, 7	philoconius (=W B)	philocomus
9	philoconium (=B)	philocomum
c. 3, p. 102, 11	lenaeus M H C Leneus K U Δ Leuius Q	Leuius ω $\overset{\text{i}}{\text{L}}$euius G .L. D Lęneus L
p. 103, 2	Siscennius M C Δ Q Sissenius K Sisennius U Sistenius H	Sescennius ω Sescenius D fescennius *e* sescennius *corr. m.3(?)* L
c. 4, p. 104, 3	*omis.*	scilicet (.s. I B)
10	stanti M C Δ statui K statim H U	statim ω stacii I
c 5, p. 104, 15	ferturque M K U Δ fertur quae C feruntque H fecitque Q	fecitque
15	tum M H U C Δ *omis.* K tamen Q	tamen (tn̄ X cum B)
17	indicatur (indicat Q)	indicat

[230] Indices in ceteris huius stirpis deficiunt.

	γ (**M K H P U C F Δ Q**) (*falso*)	ω
c. 8, p. 106, 15	uulgatosque **K H U Δ** uulgatos quae **C** uolgatosque **M F** uolgandosque **Q**	uulgandosque (uolgandosque **B V**)
c. 9, p. 107, 5	omni sermone **M K H C Δ** *omis.* **U** omni in occasione **Q**	omni in occasione ω omni occasione **B W***m.2*
20	ex^{m}**M** exemplum **K** R$^{m}_{x}$ *cett.* filium **Q**	filium ω filiam **B**
c. 10, p. 108, 6	declamantum *cett.* declarator **U** declamantibus **Q**	declamantium
c. 10, p. 108, 21	historias (hystoriam **Q**)	historiam
24	Asinium (assinium **K**) Pollionem **M K C Δ** *omis.* **H U** Asinium **Q**	Asinium ω Asinum **I** assinium **B**
p. 109, 3	celerique et **M K** celeri et **H C Δ** *omis.* **U** ciuilique et **Q**	ciuilique et
c. 11, p. 109, 15	probabantur **M K H** probantur *cett.*	probantur
21	medico **M K H F** *omis.* **U** medito **C** medio **Δ** modico **Q**	modico ω modice **O W** (*corr. in* modico **W***m.2*)
c. 12, p. 110, 20	nuper factum	imperfectum
c. 14, p. 111, 6	Memmius[231] **M K** Memmii **H F Q** Memini **U C** Memnii **Δ**	memmia (memma **B** Memmio **D**)
10	pn̄te *cett.* presente **Q** putem **U**	putem
c. 14, p. 111, 15	habuero	haberem
p. 112, 1	cohitus **M U** coitus **K H** cintus **C** tritus **Δ** uictus **Q**	uictus

[231] Vide supra p. 93.

	γ (M K H P U C F Δ Q) (*falso*)	ω
c. 17, p. 113, 14	liberalis	liber aliquis
p. 114, 2	publicaret (= D)	publicarat (publicauerat L)
c. 18, p. 114, 12	cum edoceret[232] (deceret U)	cum et doceret ω cum doceret O cum & edoceret W
14	*omis.*	Q.[233]
c. 22, p. 116, 17	auctoritatem	ciuitatem
c. 23, p. 117, 16	carperet M K H C caperet U Δ Q	caperet (cuperet W)
c. 25, p. 120, 9	*omis.*	quae
p. 120, 11	itura M K item H U itam C ita Δ recta Q	recta
c. 26, p. 123, 13	Acratino K H a Cratino M C Δ Q .A. cratino U	Atratino (attino W)
c. 26, p. 123, 14	subiratoque (subnatoque K) (subtractoque Q)	subtractoque
c. 28, p. 124, 9	docendi (*om.* Δ) (dicendi Q)	dicendi

Lectiones duplices quas **Y** ex Hersfeldensi codice accepit uel quae in ipso **Y** exortae sunt, in stirpe γ ita distributae sunt ut utraque lectio in eodem codice perraro uideatur, sed aliae in aliis exhibeantur, ut e tabulis supra (p. 95 sq.) expositis facile perspicies.

Vno quidem loco, c. 29 (p. 124, 20), haec sola stirps lectionem duplicem exhibet quam codici Hersfeldensi uindicare non dubito:

stirps γ	ω
extitisse se, *in marg. eadem man.* extricte M extitisse se K H U extitisse (se *om.*) Δ extricte se C extrictae se Q	extricte se

Qui ueram indolem lectionum duplicium quae erant in Hersfeldensi libro recte perspexerit, hanc lectionis uarietatem illi codici uix abiudicare poterit; sed hoc quoque clarius luce constare debet, *extitisse* non fuisse alteram lectionem pro *extricte* sed pro *extricte se*. Quare nolo Statium *extrisse se* proponentem, quod Rothius etiam edidit, ueram lectionem Suetonianam reuocasse. Emendatio igitur aut ab *extricte se* aut ab *extitisse* proficisci debet.

[232] Lectio duplex in archetypo; uide supra p. 75.

[233] Vide supra p. 63.

Quae cum ita sint, ad hunc locum sanandum haec propono: *par oculorum in amicitia M. Antoni triumuiri extinctum esse aiebat.*

Alio quoque loco Suetoni uerba non nisi huius stirpis opera reuocari posse mihi uidentur. C. 9 (p. 107, 5) haec stirps *omni sermone* testatur, ceteri libri *omni in occasione,* nisi quod *in* in **B** omittitur, in **W** autem a secunda manu deletum est. Dicat aliquis *sermone* olim glossam ad *lacerauit* interpretandum fuisse, quae in textum inrepserit. Hoc esse posse non infitior, sed facilius crederem nisi altera lectio *omni in occasione* suspiciones moueret. Praepositionem *in* Reifferscheidius delere non dubitauit *Claud.* 42, *occasione omni,* conferre iubens; quod Ihmius quoque probauit.[234] Sin Suetoni usui dicendi consulimus *per omnem occasionem* potius scribendum erat.[235] Ergo haud dubium mihi uidetur quin Suetonius hic quoque *per omnem occasionem* scripserit; *per omnem* autem in corruptum *sermonem* abierit, atque corrector aliquis ex *sermonem occasionem* effecerit *omni in occasione.* Sed ne prioris lectionis memoria omnino periret *sermone* in margine uel supra uersum scripsit. Vnde factum est ut iam in Hersfeldensi libro duplex lectio *sermone: omni in* extaret.

C. 9 (p. 107, 20) **M K** *reliquit exemplum* (*ex*^{m} **M**) *Orbilium,* ceteri huius stirpis compendium incertae significationis proferentes *reliquit* R_x^m *Orbilium* testantur; α β **X** *reliquit filium Orbilium* (*filiam Orbilium* **B** *orbilium filium* **O**) ostendunt. *Filium Orbilium* certe ineptum uidetur, et Reifferscheidium *Orbilium* recte seclusisse puto. Osannus tamen cognomen Orbili fili in illo compendio R_x^m latere putauit, quod in *Rufum*[236] explicare uoluit, licet nihil in contextu mutare ausus sit. Quae opinio non est sine illecebris, sed uix uera esse potest, cum satis constet et *ex*^{m} et R_x^m e compendio *fi*^{m} pro *filium* corrupta esse. Librarius γ hoc compendium pro *filium* in **Y** inueniens uel *ex*^{m} uel R_x^m legere sibi uisus est atque utrumque in libro suo, unum in textu alterum in margine uel supra ordinem scripsit. Vtrumque *ex*^{m} et R_x^m in γ fuisse persuasum habeo,[237] cum editio Incerta, quae codicis **H** archetypo pro fundamento usus est,[238] *exemplum* exhibeat, quamquam nihil nisi R_x^m in ipso **H** se habeat. Itemque Veneta 1474 editio, quae eiusdem est sectae atque **C** Δ **Q** *exemplum* profert,[239] cum **C** Δ R_x^m habeant.[240]

[234] *Op. cit.* p. 548.

[235] *Claud.* 11, 2: *per omnem occasionem*; *Tit.* 8, 2: *per omnis occasiones*; *Aug.* 67, 2: *per occasionem ualitudinis*; *Aug.* 41, 1: *per occasiones*; *Claud.* 26, 3: *per . . . blanditiarum occasiones.*

[236] *Romanum* verius sit, ut mihi uidetur.

[237] Haud scio an c. 9 (p. 107, 20) *retorhicum,* quod in **M** post *orbilium* margini adfixum est, et *rhetoricum,* quod in **K** in textum ante *grammaticum* inrepsit, ad illud compendium referenda sint. Vide infra p. 150 ad init.

[238] Vide infra p. 159.

[239] Vide infra p. 166 sq.

[240] **Q** *filium* e Pontani libro reuocauit.

Si lectiones huius stirpis peculiares examinaueris, ipsum librum γ interpolationibus de industria factis fere caruisse libenter iudicabis, sed uitia eius maximam partem e librari inscitia imprimis in scribendi compendiis explicandis exorta esse. Quae cum ita sint, non sine fructu hanc stirpem in Suetonio recensendo adhibuisse mihi uideor, quippe quae nonnumquam rectam emendandi uiam monstret, saepius autem pretiosissima testimonia ad ceterorum codicum lectiones recte aestimandas nobis praebeat.[241]

2. Codices M K e commvni Archetypo deperdito δ proflvxisse demonstrantvr. Codex M qvodam Opprobrio liberatvr.

Codices **M** et **K**, quamuis ille nonnullis hic permultis propriis uitiis sit maculatus, eis uitiis quae ceteri huius stirpis libri communia habent fere carent. Non tamen puto **M** et **K** ex ipso γ transcriptos esse, cum compluriens easdem lectiones peculiares ostendant, ita ut codex aliquis inter eos et γ intercedere iudicandus sit. Duo igitur fuisse apographa codicis γ censeo, quae δ et ζ nomino. Ex δ **M** et **K** ortus ducunt, ex ζ autem ceteri huius stirpis uariis gradibus profluxerunt. Hac e tabula iudicare poteris quae lectiones peculiares in δ extarent:

	δ (M K)	ω
c. 2, p. 101, 12	Lannuinus **M** Lannuuinus **K**	Lanuuinus ω Lanūninus **B** lanuinus **L** Lanuuius **H** **C** lanuius **U** lānuinus **Δ** lauinius **Q** *omis.* **I**
c. 4, p. 103, 8	acurate **M** accurate[242] **K**	acute (accute **B**)
c. 9, p. 107, 13	gybberosos (= **C**)	gibberosos
14	gybber (= **C**)	gibber (giber **B** Δ)
20	exemplum	*uide supra p. 144; p. 146*
c. 10, p. 108, 14	qr	quia
19	comendare (= **C**)	commendare
p. 109, 4	audatiam (= **W B I**)	audaciam
c. 11, p. 110, 15	Crateris (= **V U Q** Crateri **L**)	Cratetis (cratis **C**)
c. 14, p. 111, 6	Memmius	*uide supra p. 144*
13	indicaturus	iudicaturus
c. 15, p. 112, 12	in eruditissimum (= **I**)	ineruditissimum (inruditissimum Δ)

[241] C. 7 (p. 105, 23) *in his*, c. 18 (p. 114, 12) *in his* (*in iis* **M** *in hos* **C** Δ), haec stirps cum familia **X** meliorem formam (*in iis* α β) praebet, quam Reifferscheidius etiam contra Vaticani 1862 testimonium edidit. C. 10 (p. 108, 15) γ cum **X** recte *uindicauit* contra *uendicauit* in α et β (*uindicauit* **V**) exhibet.

[242] Quae manus correxerit non liquet.

	δ (M K)	ω
13	cathenis (= B D Q)	catenis[243]
c. 16, p. 112, 16	Epyrota M epyrota K (= X)	Epirota
p. 113, 4	adolescentulis	adulescentibus W G I B C adolescentibus ω
9	epyrota (= X)	Epirota
c. 17, p. 113, 12	comittere	committere
c. 25, p. 120, 11	itura	*uide supra p. 145*
p. 122, 19	brondusii *in* brondusi *corr.* M brondusii K	brundusii ω brundis in W brondusium I brundisii H
21	falaciam	fallaciam ω fallatiam W I C falatiam B
c. 26, p. 123, 11	alii (= B)	ali (ali *ex* alii *corr.* I H)
c. 28, p. 124, 14	Mancino[244] (= L)	nucerino X B Nuncino (nuntino I Δ) ω

M et K multa scribendi compendia conseruant, quae codici γ sunt uindicanda.[245] Quae nonnumquam errores in aliis huius stirpis libris facile explicant, ut c. 2 (p. 101, 1) *aiorum* pro *aliorum*, in H *amicorum*, in C U *animorum*, in Q *animos*; c. 9 (p. 107, 5) *në* (pro *naturae*) in K, in C Δ autem *ne*; c. 10 (p. 108, 18) *sigt*[246] in M K, in H *signant*, in Δ *significatur*. Quidam errores in K e compendiis, quae librarius M resoluere non ausus est, explicari possunt, ut c. 4 (p. 103, 9) *prope* (= *proprie*) M *prope* K; c. 9 (p. 106, 19) *deiñ* (= *deinde*) M *Demũ* K; c. 10 (p. 108, 15) *cognom* (= *cognomen*) M *cognoie* K.

Venetus codex longe est optimus huius stirpis, atque meo iudicio integrior est quam Vaticanus I, Bodleianus, Hauniensis, uel etiam Gudianus. In quibusdam lectionibus, quae ad orthographiam pertinent, is codex cum uno et altero uel cum paucis aliis ueras scripturas praebet, ut c. 2 (p. 101, 9) *lenęus* (= *lenaeus* C); c. 14 (p. 111, 5) *Nicia* (= O N V), (p. 111, 15) *Nicia* (= X N D V U Δ); c. 23 (p. 117, 13) *Palaemonem* (= W); c. 24 (p. 118, 6) *berytius* (= G B V H Q). C. 17 (p. 113, 20) *emicyclium* in M uerae formae *hemicyclium*, quae in solis N G V uidetur, proxime accedit. C. 4 (p. 104, 2) *ęthiologias*,[247] M Hersfeldensis libri lectionem conseruat, ubi ceteri stirpis γ una cum W G B in *ethymologias* uel tale quid abierunt. C. 25 (p. 119, 10) M cum X V L C *paululo* pro *paulo* in ceteris testatur, ita ut uix dubitem illud

[243] Graeuius, N. Heinsius, uulgo, *Athenis*; uehementer dubito an recte.

[244] Vide supra p. 101.

[245] Saepius eadem compendia atque H exhibent.

[246] Idem compendium in B V L.

[247] Pro *aetiologias*, et sic edendum est, non *ethologias*, ut editores omnes (praeter Trosium) post Beroaldum haud recte publicauerunt.

Hersfeldensi libro uindicare. C. 14 (p. 112, 2) etiam **M** cum solis **O W** ueram scripturam *non possit* sincere exhibet.[248] Haud ita multas lectiones peculiares quas neque librarius neque corrector sustulit in codice **M** inuenies. Viginti fere quinque praeter eas quae ad orthographiam pertinent, animaduerti. Haec exempli gratia ostendo: c. 5 (p. 104, 14) *dignitatemque* pro *dignationemque*; c. 7 (p. 105, 23) *quoque claros* (= **Q**) pro *claros quoque*; c. 9 (p. 107, 15) *proprie* pro *prope*; c. 10 (p. 108, 18) *ad* om.; c. 15 (p. 112, 11) *Pistorum* (*prostorûqȝ* **K**); c. 18 (p. 114, 6) *& inyrnę* pro *Zmyrnae*; c. 23 (p. 118, 1) *libidinis* pro *libidinibus*; c. 28 (p. 124, 16) *cornelius* pro *cornibus*; c. 30 (p. 126, 9) *centumuiriali* pro *centumuirali*. Quae omnia merae neglegentiae deberi uidentur, sed in indicibus duo additamenta de industria facta sunt. P. 98, 11 Staberi Erotis nomen ex Hersfeldensi libro uel exciderat uel numquam locum in indice habuerat; in **M** autem inter *Cornelius Epicadius* (sic in **M**) et *Curcius nicia* (sic) *Staberius heros l' hiero* addita sunt; p. 99, 1 *L.* praenomen, quod in ceteris libris praeter **B** deficit, nomini *plocius* (sic in **M**) *Gallus* e contextu praefixum est. Probabilius mihi uidetur haec additamenta non in ipso **M** sed in δ facta esse, sed pro certo iudicari non potest, cum indices in **K** deficiant. Sed p. 98, 6 praenomen *M.*, l. 8 praenomen *L.* in hoc solo codice desunt; quae neglegentia ab illo studio corrigendi abhorrere uidetur.

Librarius **M** saepius uel inter scribendum uel in relegendo suos errores sustulit, uelut c. 7 (p. 106, 5) *reperitur* (superscr. *ri*); c. 9 (p. 107, 10) *insectantem* (superscr. *tione*); c. 14 (p. 112, 3) *libertos* ut uidetur in *libros* correctum; c. 25 (p. 122, 23) *uoluntate libertate*. Curiosius correcturae officio functa est secunda manus in hoc codice, quae complures errores ab ipso librario factas sustulit, sed neque lectiones quae stirpis γ propriae sunt, neque eas quas **M** communes cum **K** habet mutauit. Unde constat correctorem continuo post librum scriptum suo munere functum esse, neque aliud exemplar habuisse nisi id quo prior librarius usus esset.[249] Haec uitia inter alia a prima manu admissa correctoris manus sustulit: c. 4 (p. 104, 1) *p̄parandā ut problemata paraphrasis allocutiones* in textu omissa in margine addidit; c. 7 (p. 105, 19) *libidine* in textu perleuit *liberalitate* in margine addidit; c. 9 (p. 106, 21) *prorsus* in textu deleuit *professus* in margine suppleuit; c. 23 (p. 117, 3) & expunxit, *ac* supra uersum scripsit; c. 23 (p. 117, 18) *promercalium* in textu omissum in margine addidit; c. 25 (p. 120, 10) *neque placent* in text. om. in margine addidit. Eadem altera manus c. 13 (p. 110, 21) alteram lectionem *hero suo metrę emptus* margini adiecit, *emptus* autem quod librarius in textu scripserat in *empturus* immutauit. Idem corrector librum copiosis adnotationibus marginalibus ita instruxit ut argumenti indiculos exhiberet, ut ad c. 3 (p.

[248] Vide supra p. 78.

[249] Corrector idem fuisse uidetur qui cetera omnia hoc codice contenta praeter Suetonium et opera Tacitea exscripsit. Vide Philipp, 1904, p. 304; et supra p. 32.

102, 10 sq.) *Quanta merces olim grammaticorum*; uel ut res memorabiliores adnotaret, ut ad c. 16 (p. 113, 5 sq.) *primus latine ex tempore disputauit*; uel ut nomina propria et uerba singulariora in margine repeteret. Versus carminum a Suetonio prolatos, quos librarius continuos in ordine scripserat, in margine notauit, ut ad c. 9 (p. 107, 17) *Versus trimeter catulli bibaculi*- ad c. 11 (p. 109, 22) *Catulus bibaculus Endecasyllabi Versus*; uel uerbo *uersus* simpliciter adfixo ut ad c. 18 (p. 114, 8). Ad c. 9 (p. 107, 20) *retorhicum* margini adiecit, quod certe in exemplari suo inuenit, cum idem in **K** (*rhetoricum*) in contextum ante *grammaticum* inrepserit.[250]

Codex **K** permultis uitiis, quae librarii imperiti et neglegentes admittere solerent, inquinatus est. Perpaucas bonas lectiones ostendit, quae sorti attribuendae sunt, ut mihi uidetur: c. 18 (p. 114, 3) is solus *Crassicius* habet; c. 16 (p. 113, 2) *obicitur* (= **W B C Q**), c. 25 (p. 119, 12) *subiciam* (= **W B Q** *subitiam* **I**), c. 28 (p. 124, 11) *obitientibus* (= *obicientibus* **W**), c. 29 (p. 125, 4) *obicit* (= **O W B**) simplicem *i* litteram recte ostendit.[251] C. 3 (p. 101, 15) *stillo* exhibens uerae formae *Stilo*, quae in solo **Q** inuenitur, accedit.[252] C. 16 (p. 113, 8) *uersiculi* formae *uersiculis* (= **B L Q**) quam restituendam censeo[253] propius accedit. C. 24 (p. 119, 4) *cum plurimos* (= **O D L U C**), ubi *cum plurimis* in Hersfeldensi libro fuisse uidetur,[254] profert. Alia quoque in hoc libro de industria mutata deprehenduntur, ut c. 4 (p. 104, 8) *uero mane* (= **D H U**), quod ante Trossium uulgatum erat, Rothius Reifferscheidiusque resuscitare non debuerunt, cum alter ordo *mane uero* in Hersfeldensi esset et sententiae sit aptior, siquidem *mane* et *post meridiem* inter se opponuntur; c. 3 (p. 101, 17) *Marcellum* pro *Metellum*; c. 4 (p. 104, 1) *romanis* pro *ipsis* in exemplari; c. 5 (p. 104, 19) *postumus* pro *post huius* in exemplari; c. 9 (p. 107, 3) *perialogus* pro *perialogos*; c. 18 (p. 114, 8) *Viri* pro *uni*; c. 30 (p. 125, 15) *receptusque est* pro *receptusque*, (p. 125, 16) *plauti* (= **Q**) pro *Planci*, (p. 125, 18) *plauto* pro *planco*, (p. 125, 18) *actaque ita impleuit* pro *atque ita impleuit*. Quae omnia uix inconsulte mutata sunt. Quod ad orthographiam pertinet, hic codex litteram *e* semper pro *ae* scriptam habet; consonantes duplicatas pro singulis saepissime ostendit, ut c. 10 (p. 108, 23) *elligeret* (= **B**), (l. 24) *assinium* (= **B**); c. 22 (p. 116, 19) *Assinius* (= **H**); c. 11 (p. 109, 5) *traddiderunt* (= **F**); c. 13 (p. 111, 2) *traddant;* c. 21 (p. 116, 3) *traddit*; c. 14 (p. 111, 11) *proffert*, (l. 12) *oppinor*; c. 17 (p. 113, 15) *ellectus* (= **B**); c. 21 (p. 116, 2) *ellegantem* (= **B**); c. 23 (p. 117, 17) *dilligentissimus*; c. 24 (p. 119, 7) *eddidit*; c. 25 (p. 122, 3) *neccessaria* (= **U**); c. 29 (p. 125, 1) *accumen stilli*; *grammatticus* et *grammattica* fere semper.

[250] Vide supra p. 146 adn. 237.
[251] Vide supra p. 67.
[252] Vide supra p. 102.
[253] Vide supra p. 129.
[254] Vide supra p. 124 adn. 129.

In permultis aliis huius libri propriis nihil nisi inconsultam deprauationem agnoueris: c. 1 (p. 100, 3) *disciplinibus*, (l. 5) *apoete* pro *et poetae*, (l. 11) *posterius* pro *posterioris*; c. 2 (p. 100, 19) *uris* pro *nris*, (p. 101, 11) *aieruntque* pro *auxeruntque*; c. 3 (p. 102, 4) *nemo* pro *ueneno*; c. 4 (p. 103, 26) *descriptis* pro *discretis*; c. 8 (p. 106, 11) *cunias* pro *Cumas*; c. 9 (p. 106, 22) *prop^a^* pro *patria*; c. 11 (p. 110, 5) *fueris* (uel *fucris*?) pro *farris*; c. 15 (p. 112, 11) *prostorumque* pro *priscorum*; c. 17 (p. 113, 12) *stilum* pro *solum*; c. 25 (p. 120, 15) *cam* pro *causa* (*cā* in exemplari), (p. 121, 18) *latinis* pro *latius*; c. 30 (p. 126, 4) *sobolasticus* pro *scholasticus*; et sescenta alia.

Multa uerba omissa in hoc codice reperies, alia inconsulte ut c. 25 (p. 122, 22) uerba inde a *puer* ad (l. 23) *Olim*; c. 1 (p. 100, 9) *quod*; c. 3 (p. 102, 1) *editum*; c. 5 (p. 104, 16) *quoque*; c. 10 (p. 108, 17) *quorum*, (p. 109, 2) *nihil aliud*; c. 15 (p. 112, 15) *gratis*; c. 23 (p. 117, 7) *etiam*; alia quidem ubi lacunae religiose sunt relictae, quasi his locis aut exemplar aliquod damnum perpessus esset, aut librarius compendia scribendi uel scripturam haud satis compositam explicare non ausus esset. Haec verba inter alia spatiis uacuis relictis omissa sunt: c. 6 (p. 105, 4) *Zmyrnae*; c. 23 (p. 117, 14) *nominis*; c. 24 (p. 119, 4) *postmeridianis*; c. 26 (p. 123, 14) *rhetorem*; c. 27 (p. 124, 2) *uetere more*; c. 29 (p. 125, 4) *et ioci causa*.[255] Compluriens etiam, ubi compendia resoluere non ausus est, librarius primis uel ultimis uerborum litteris scriptis lacunas ceteris litteris postea implendas reliquit: c. 2 (p. 100, 20) *ca*.... (*caria* in M); c. 4 (p. 104, 9) *pat*....(cf. *prum* in H); c. 15 (p. 112, 10) *popi*... *q;*; c. 18 (p. 114, 5) .....*graphos*; c. 23 (p. 117, 1) *tex*....; c. 24 (p. 118, 14) ....*est* pro *adnotare*; c. 25 (p. 122, 4) *super*....; c. 29 (p. 125, 3) *con*....pro *congiarium*; c. 30 (p. 125, 16) *con*....pro *contubernium*.

K adnotationibus marginalibus eiusdem generis atque **M** sed copiosioribus instructus est. Hae adnotationes in **M** et **K** ex eodem fonte non profluxerunt, cum nisi in nominibus propriis numquam conspirent. Exempla in **K** sunt: ad c. 4 (p. 103, 7) *litteratus & eruditus secundum Cornelium*; ad c. 4 (p. 104, 3 sq.) *pueri sicci: aridi*; ad c. 16 (p. 113, 17) *quis primus poetas legerit*; ad c. 25 (p. 123, 1 sq.) *Appellatio ude* (sic) *dr̄*; ad c. 30 (p. 126, 2 sq.) *Gestus in orando*. Omnes adnotationes marginales ex eadem manu atque ipse codex, quod iudicare possim, profluxerunt, neque in toto codice certa indicia secundae manus repperi.

Non infitior **K** compluriens cum ceteris huius stirpis conspirare, ubi **M** a partibus meliorum librorum stat, ut c. 7 (p. 106, 1) *&* pro *etiam*; c. 14 (p. 111, 14) *sit* (*si* **C** Δ **Q**) pro *sint*; c. 25 (p. 121, 11) *atque* pro *ac*, (p. 122, 11) *et sic* pro *Sic*; uel cum uno et altero stirpis γ contra ceterorum omnium testimonia facere, ut c. 2 (p. 100, 16) *bellum punicum* (= **H U** Δ) pro *Punicum bellum*; c. 11 (p. 110, 13) *ōis* (= *omnis* **H C** Δ) pro *omnes*; c. 18 (p. 114, 3) *L.* omis. (= **H C** Δ **Q**). Sed codex **K** in uniuersum non eadem peccata quae

[255] Sic in exemplari.

H U C Δ Q prae se fert, et talis conspiratio, ut rarius fortasse ad archetypum γ referri potest, sic saepius fortuita habenda est. Mirum esset, nisi libri tam corrupti hic illic eadem uitia exhiberent.

3. Ceteri Stirpis γ Codices e commvni Archetypo deperdito ζ Ortvs dvcere probantvr

Ex altero codicis γ apographo, quod ζ nomino, reliqui codices[256] **H P U C F Δ Q**, ut iam dixi, ortus uariis gradibus ducunt, quod facile persuasum habebis si hanc tabulam perlustraueris:[257]

	ζ (**H P U C F Δ Q**)	**M K** ω
c. 2, p. 101, 5	scripta **H C Δ** scriptura **U** scripturae **Q**	scriptura

[256] Nunc ad codicis ζ progeniem accedit codex Neapolitanus IV. B. 4. bis (S), ut lectiones huius sectae propriae in eo quoque deprehensae demonstrant. Haec tamen in S bene restituta sunt: c. 10 (p. 108, 22) *breuiario*; c. 11 (p. 110, 5) *Quem*; c. 18 (p. 114, 13) *compararetur*; c. 25 (p. 121, 13) *processerint*; c. 28 (p. 124, 15) *praecipitatum.* C. 21 (p. 116, 6) *aios* compendiose ut H ostendit S; c. 25 (p. 119, 14) compendium *senat. consult.*, ut uidetur, in *senatores consules* resolutum est; c. 28 (p. 124, 12) *9sus* (?) in *censueris* explicatum est. C. 23 (p. 117, 18) S *perinde callium* (sc. e *promcalium* corruptum) exhibens ipsi ζ propius quam ceteri accedere uidetur. Codicem S neque ex η (uide infra p. 156) neque ex θ (uide infra p. 166) profluxisse multa persuadent, quamquam has lectiones cum η communes habet: c. 3 (p. 102, 6) *Post hec*; c. 15 (p. 112, 10) *lturconem*; c. 17 (p. 113, 14) *Is erat liberalis*; c. 18 (p. 114, 14) *in sexti*; c. 26 (p. 123, 14) *hordearium*; his etiam locis cum θ facit: c. 15 (p. 112, 6) *telluris aedem*; c. 16 (p. 113, 9) *Epirota* pro *Et Epirota*; c. 17 (p. 113, 20) *contra*; c. 23 (p. 118, 2) *dictoque*; c. 29 (p. 125, 1) *cum.* C. 22 (p. 116, 10) *ad id sar°* (e compendio *adusar°* pro *aduersario*), eundem errorem atque *C* et Δ (uide infra p. 173) exhibet. Confer etiam c. 10 (p. 108, 18) *hic ernia* in S cum *h⁊ ma* in *C* et *hęc mea* in Δ.

Manum emendatricem alicuius uiri docti haec in S deprehensa detegunt: c. 23 (p. 117, 14) *pepercisse* (=**O L U**); c. 25 (p. 122, 3) *tum utilia . . . tum perniciosa* (sic fere **B**); c. 30 (p. 126, 2) *incipere* (=**H**); c. 14 (p. 111, 16) *possim* (cum praecedente *habuero* pro *haberem*); uerba Graeca c. 25 (p. 122, 5) *θέσεισ, ἀνασκευὰσ, κατασκευὰσ*, (p. 123, 1) *συνθέσεισ*; c. 25 (p. 122, 6) *exoleuerunt*; c. 29 (p. 125, 4) *risus tibi et ioci* pro *tibi et ioci*, (p. 125, 5) *compotatorum* pro *competitorum* in exemplari, (p. 125, 7) *& in tuos* (uide infra p. 165). Hae tamen ineptiae inter permulta alia docent ipsum codicem S ab illo uiro docto non esse exaratum: c. 15 (p. 112, 5) *suscrutauit* pro *sustentauit*; (p. 112, 9) *statua* pro *satura*, (p. 112, 13) *catonis* pro *catenis*; c. 17 (p. 113, 18) *sexterna* pro *sextertia*; c. 18 (p. 114, 11) *nec asua* pro *nota sua*; c. 20 (p. 115, 7) *uentitiam* pro *notitiam*, (p. 115, 8) *palemiae* pro *palatinae*; c. 21 (p. 116, 5) *corpore* pro *componere*; c. 23 (p. 117, 18) *effumas* pro *officinas*. Statuendum igitur est tertium codicis ζ apographon deperditum, cuius pars prior (ad c. 12; uide supra p. 35) in epitomen redacta erat, unde est transcriptus noster codex S. Fortasse hi deteriores stirpis γ codices plerumque ex eadem schola ita profluxerunt, ut hic illic in diuersis codicibus eaedem grammaticorum correctiones inuenirentur (uide supra p. 35).

[257] Hic quoque uera lectio in singulos codices coniectura nonnumquam reuocata est. Q autem saepissime e Pontani libro est correctus.

	ϛ (H P U C F Δ Q)	M K ω
c. 3, p. 102, 8	aliud (aliquid **Q**)	aliquid (aliqua **X**)
12	nummis (nummum Δ)	nummum
c. 4, p. 103, 6	Corneliusque *cett.* (= Corque **B**) Cornelius Δ	Cornelius quoque
10	appellant **H C** Δ appellantur **U** appellat **Q**	appellandos (appellando **B**)
16	& grammatistam (& grammatisten **F**) a grammatista **Q**	a grammatista (a grammatica **D**)
19	Nam (Nanque **Q**)	Namque *uel* Nanque
26	nullo minus (nihilominus **Q**)	nihilo minus (nominus **B**)
c. 4, p. 104, 8	*omis. spatio uacuo relicto* **H P C** *omis. nullo spatio relicto* Δ **F** uero **U** remoto **Q**	remoto
10	in numero **H U C** in numerum Δ **Q**	in numerum
c. 6, p. 105, 8	& numero **H U C** e numero Δ ex numero **Q**	ex numero
8	in plerisque (impleris quae **C**) huius (hiusus **C**) cognomen (congnomen **C**) *cett.* Huius cognomen in plerisque **Q**	huius (unius **W** Huic **D**) cognomen in plerisque
c. 7, p. 106, 5	impensius **H U** Δ ipsius impensius **C** ipsius **Q**	ipsius
c. 8, p. 106, 10	enim (.n. **H**) **H C** Δ & **U** etiam **Q**	etiam
13	principium *cett.* precipuum **Q**	praecipuum
13	enim (n. **H**) **H C** Δ .i. **U** Ennii **Q**	Ennii (Enni **B V**)

	ζ (H P U C F Δ Q)	M K ω
c. 9, p. 106, 19	migrantibus H Δ F inigrantibus C *omis.* U magistratibus Q	magistratibus
22	*omis. cett.* Romam Q	Romam (Rhomam B)
p. 107, 4	negligenter ac H negligenter at C negligentur ac Δ *omis.* U negligentia aut Q	negligentia (neglegentia G I) aut (negligentiore, *om.* aut D)
c. 10, p. 107, 22	*omis. cett.* est Q	est
c. 10, p. 108, 8	*omis. cett.* Hermam Q	Hermam
22	breuiore H *omis.* U breuiare C Δ breuia Q	breuiario
p. 109, 3	celeri & H C Δ *omis.* U ciuilique et Q	celerique et M K ciuilique et ω
c. 11, p. 110, 5	Quam	Quem
c. 13, p. 110, 21	*Vide supra p. 84. Libri alteram lectionem uel partim uel in toto in textum susceperunt.*	
c. 14, p. 111, 5	.M. C Q Marco H U Δ	.C.
18	nosti inter nitię H nosti inter Nicie U nosti inter nitii C Δ nosti Nicie Q	nosti Niciae (*uel* Nitiae) ω nostre Nicie O nrāe Niciae W
c. 16, p. 113, 3	*omis.*	ita
c. 17, p. 113, 11	exercitandum H C Δ excitandum U exercitandū *in* exercitanda *corr.* Q	exercitanda
14	at H C ac U Δ Q	aut
c. 18, p. 114, 13	compararet H U Q comparare C Δ	compararetur (comp*er*aretur B V M K comperaretur I L)

	ζ (H P U C F Δ Q)	M K ω
14	*omis.* C Δ Q in H U	ad (Q. *om.*) M K ad Q. ω atque[258] O W ad Q. atque *a*
c. 19, p. 114, 17	uxoris	Libonis
c. 20, p. 115, 4	*omis.* (= G I)	puerum
8	*omis.*	eo
c. 21, p. 116, 6	aīos H animos U C Δ alios Q	alios
c. 22, p. 116, 8	*omis. cett.* M. Q	M. (Marcus N D L)
8	modestissimus H U C Δ (= D) ^{d}moles-tissimus Q	molestissimus
c. 23, p. 117, 18	& īn callium H inde callium C Δ inde carnium Q *omis.* U	promercalium (prouincialium I G*m.1*)
c. 25, p. 119, 14	Senat. Consult: U senat consult C senatus consulto Δ *omis.* H Q	senatum consuluit
c. 25, p. 120, 3	interrupto (= G*m. 1* I)	interiecto
p. 120, 12	euenire *cett.* eo ue-nire Q	eo uenire
13	ostendamus H C Δ *omis.* U osten-deremus Q	ostenderemus (ostendemus D K)
p. 121, 13	processerunt (= I G*m.1*) processe-rint Q	processerint (processer Ŧ K)
p. 122, 17	fuit H U C Δ ad-fuit Q	infuit ω affuit D V L
17	porta U C Δ porca H sporta Q	sporta
c. 28, p. 124, 12	considis H *om.* U 9^{ri}sus C Δ consularis Q	consularis
14	ab Epidio H C ab Epulio U a .C. Epidio(-mine-mo) Q	a .C. Epidio W G I D V L M a .C. Ẹpidio N a .C. epidico B .A. cepidio O acepidio K

[258] Vide supra p. 106.

	ζ (H P U C Δ Q)	M K ω
c. 28, p. 124, 15	principatum *cett.* precipitatum **Q**	praecipitatum
c. 30, p. 125, 13	*omis. cett.* contra **Q**	contra
18	itaque **H U Δ** itaque ita **C** atque ita **Q**	atque ita ω mores ita **X** actaque ita **K**
p. 126, 7	ne *cett.* nec **Q**	nec
7	operandi *cett.* perorandi **Q**	perorandi (proorandi **W**)

Qui has lectiones perlustrauerit, continuo iudicabit librarium ζ perpauca de industria mutauisse, sed saepius propter imperitiam et neglegentiam errauisse. Ne una quidem bona lectio inuenitur. C. 28 (p. 124, 14) ***ab Epidio*** Rothius probauit neque edere dubitauit. Non infitior praenomen illi deo uix conuenire, sed nemo dubitare potest quin *C* littera locum in Hersfeldensi libro obtineret.

4. Codices H P U e commvni Archetypo deperdito η Originem traxisse demonstrantvr. Necessitvdo inter Codicem H et Editionem qvae Incerta vocatvr excvtitvr. Nonnvlla de Codice U dicvntvr.

Vitiosus ille codex ζ duos procreauit filios, quos η et θ nomino, qui ita ut pater eorum perierunt. Ex η codices Harleianus (**H**) cum eius apographo Parisino (**P**) et Vrbinas (**U**) (neuter tamen primo gradu) originem trahunt, e θ autem ceteri codices, Cheltenhamensis (**C**) cum eius apographo Florentino (**F**), Vaticanus 4498 (**Δ**), Berolinensis (**Q**).

Codices **H** et **U** e communi archetypo η manauisse lectiones quas infra expono docebunt. In dextra columna eis lectionibus quae in γ aut ζ exortae sunt[259] primum locum attribui, cum librarius η has corruptelas nonnumquam sanauerit uel sanare conatus sit.

	η (H P U)	ω
c. 1, p. 100, 8	si quid	siquidem γ si quid ω
12	feruntur (= **Q**)	ferantur
c. 2, p. 100, 14	Aristarchi (= β **Δ**)	Aristarci (Haristarci **X**)
16	bellum punicum (= **K Δ**)	punicum bellum
p. 101, 2	recitarent	retractarent (tractarent **B** retr^{e}actarent **L**)
c. 3, p. 102, 6	post haec **H** post hec **U** (= **B**)	Posthac α Post hoc (Post hos **L**) ω

[259] Vide supra p. 143 sq.; p. 152 sq.

	η (H P U)	ω
9	in urbe fuisse (in urbe *om. in text. sed add. ead. man. in marg. binis uirgulis ante* fuisse *in text. et infra* in *in marg. positis* H)	fuisse in urbe
16	doctissimis (=I B F)	notissimis (nocissimis G nouissimis Δ)
c. 4, p. 103, 17	istum illum (=B)	illum
p. 104, 8	uero mane (=D K)	mane uero
10	statim	stāti γ statim ω
c. 7, p. 105, 12	*omis.*	M. (*uel* Marcus)
p. 106, 3	& si athenis H & syrarenis U	Etsi Ateius
c. 14, p. 111, 10	me *omis.*	me (m̅ C)
11	nudicum H iudicum U	Vidium (Nidium Q)
14	*omis.* (=O)	τοῦ (tot W toum Δ Io. Q)
18	molliciem	*uide supra p. 98*
c. 15, p. 112, 10	Laustaurum (Laustrarum P)	lastaurum
10	lurconem (=O L)	lurchonem *uel* curchonem; *uide supra p. 98*
c. 17, p. 113, 14	is erat liberalis	id erat liberalis γ id erat liber aliquis ω
18	tunc palatii	palatii (palati α V C) tunc
c. 18, p. 114, 14	in	*omis.* ζ ad ω
c. 22, p. 116, 19	Gallus (=α L Q)	gallius
c. 25, p. 120, 3	.GN. (=Gn. V L Q)	.CN.
c. 25, p. 122, 6	exoluerunt	exoluerint (exsoluerunt D exoluerit K)
c. 26, p. 123, 14	hordearium (=N) H ordeanum[260] U	hordear^m γ *uide supra p. 118*
c. 27, p. 124, 4	.GN. (=W Gn. V L Q) H G. U	.CN.
c. 28, p. 124, 17	comp*e*risse H comperisse U	comparuisse (conperuisse B C)
c. 29, p. 125, 8	audite (=W D)	audite audite

[260] Ex *ordearium* corrupt. Cf. in U c. 30 (p. 125, 12) *nouanensis* et (p. 127, 5) *nouanam* pro *Nouariensis* et *Nouariam*.

Huc adde quod c. 18 (p. 114, 9) *hanc*, et (p. 114, 11) *uota*, ubi duplices lectiones in Hersfeldensi codice pono, **H U** soli inter stirpis γ codices eas lectiones quas scriptas uides exhibent.

In Harleiano (**H**) codice ita ut in Bodleiano[261] (**B**) duo diuersa genera lectionum propriarum inueniuntur, quorum unum manum emendatricem alicuius uiri docti; alterum ineptias librari indoctissimi et neglegentissimi retegit. Quam ob rem compertum habeo nostrum Harleianum non ex ipso η transcriptum esse, sed potius apographon esse corruptissimum alterius cuiusdam codicis quem uir aliquis doctus ex η transcripserit. Primo ergo eum codicem qui inter **H** et η intercedit quodam modo restituere conabor. Virum illum doctum qui Harleiani patrem exarauit artis metricae haud ignarum fuisse uera lectio c. 11 (p. 110, 4) *sit sapientiam* (= **L Q F**) pro *sapientiam sit* restituta, et c. 16 (p. 113, 9) *Epirota* pro *Et Epirota*, uerbo *Et* metri causa deleto,[262] persuadent. Eiusdem doctrina in notis marginalibus deprehenditur: uide mihi ad c. 1 (p. 100, 5) *Liuius Andronicus*; ad c. 15 (p. 112, 11) *Quintilianus li° ·V·/ Et uerba antiqui mult/*[263] *furate Catonis/ Crispe iugurtinę con/ditor historiæ.*[264] Idem uir doctus c. 15 (p. 112, 9) *lacerauerit* (= **X B V L Q**) pro *lacerauit* in exemplari restituit; c. 20 (p. 115, 7) *polyhistorem* pro *polihistorem*[265] recte scripsit; c. 25 (p. 122, 19) *brundisii* (u supra i) pro *brundusii* in exemplari posuit.[266] Idem librarius nisi fallor c. 2 (p. 101, 1) ubi compendium *āiorum* pro *aliorum* iam in ζ in *animorum* falso resolutum erat,[267] *amicorum* substituit; c. 5 (p. 104, 15) corruptelae *ferturque* (pro *fecitque*), quae in γ exorta erat, *feruntque* scribens medelam adferre conatus est; c. 14 (p. 112, 2) e *possem*, quod in exemplari legere debebat, *possim* effecit,[268] c. 17 (p. 113, 18) *sestertia* (= **N G V L**) pro *sextertia* restituit. Eidem quoque attribuo c. 4 (p. 103, 25) *tam* pro *iam tam*;[269] c. 11 (p. 109, 20) *in summa pauperie et pene inopia* pro *in summam pauperiem et pene inopiam*;[270] c. 25 (p. 123, 1) *synthesis*.[271]

[261] Vide supra p. 122.

[262] Vide supra p. 129. Putet aliquis hanc correctionem librario ζ attribuendam, cum in **C Δ Q** quoque inueniatur. Quod non credo, cum pristina lectio in **U** se habeat, neque inscius ille librarius ζ talem emendationem facere posset.

[263] Litterae *um* a bibliopega resectae sunt.

[264] Hoc epigramma re uera apud Quintilianum VIII 3, 29 inuenitur.

[265] Sic in γ: *polihistorem* **M U** *polihystorem* **K C** (= **B**) *pollihistorem* **Δ** *polybistorem* **Q**.

[266] Vide tamen supra p. 71 adn. 88.

[267] Vide supra p. 148.

[268] Fortasse etiam in ζ uera lectio *non possit* in margine scripta durauerat. Similiter librarius **V** lectionem *non possit* respuit, nisi quod litteram *i* supra *e* in *possem* scripsit. Vide supra p. 78; p. 96 adn. 5.

[269] Vide supra p. 83.

[270] Vide supra p. 125.

[271] Vide supra p. 102 sq.

Ad Harleiani archetypum, quod H_1 nomino, restituendum in editione quam Rothium sequens *Incertam* appello testem pretiosissimam habemus. Earum lectionum quae totius stirpis γ propriae sunt has fere in Incerta editione inuenies:[272] c. 3 (p. 102, 11) *laeneus*; c. 4 (p. 104, 3) *scilicet* omis.; c. 5 (p. 104, 15) *tum*, (p. 104, 17) *indicatur*; c. 9 (p. 107, 5) *omni sermone*, (p. 107, 20) *exemplum*;[273] c. 10 (p. 108, 6) *Declamantum*, (p. 108, 24) *Asinium pollionem*; c. 11 (p. 109, 15) *probabantur*; c. 14 (p. 111, 15) *habuero*, (p. 112, 1) *coitus*; c. 17 (p. 113, 14) *liberalis*, (p. 114, 2) *publicaret*; c. 22 (p. 116, 17) *auctoritatem*; c. 23 (p. 117, 16) *carperet*; c. 25 (p. 122, 11) *& sic*; c. 26 (p. 123, 13) *a Cratino*, (p. 123, 14) *subiratoque*; c. 27 (p. 124, 1) *uoltacilius*; c. 28 (p. 124, 9) *docendi*; c. 29 (p. 124, 10) *extitisse*. Has deinde lectiones cum ζ communes habet editio Incerta: c. 4 (p. 103, 19) *Nam*; c. 10 (p. 107, 22) *est* omis., (p. 109, 3) *celeri &*; c. 11 (p. 110, 5) *Quam*; c. 17 (p. 113, 14) *ac*; c. 25 (p. 120, 13) *ostendamus*; c. 28 (p. 124, 14) *ab epidio*. Has etiam lectiones cum η communes exhibet: c. 2 (p. 100, 16) *bellum punicum*; c. 3 (p. 102, 9) *in urbe fuisse*; c. 4 (p. 104, 8) *uero mane*; c. 7 (p. 105, 12) *M*. omis.; c. 14 (p. 111, 14) τοῦ omis.; c. 17 (p. 113, 14) *Is erat liberalis*; c. 22 (p. 116, 18) *gallus*; c. 25 (p. 122, 6) *exoluernnt*.[274] Has denique lectiones non nisi in Incerta editione et H inuenies: c. 17 (p. 113, 14) *carior* pro *rarior*; c. 24 (p. 118, 9) *memoria antiquorum* pro *antiquorum memoria*, (p. 119, 2) *aliquos* pro *aliquot*; c. 25 (p. 121, 18) *liberius* pro *uberius*; c. 26 (p. 123, 10) *uirorum* pro *hominum*, (p. 123, 14) *hordearium* (= N). Sed editio Incerta eis turpissimis uitiis, quibus Harleianus codex laborat, quorumque nonnulla infra ostendam, omnino caret, neque dubium mihi uidetur quin is, qui Incertam comparauit non ex ipso Harleiano sed ex eius archetypo H_1, de quo supra uerba feci, hauserit. Quod etiam, ut spero, infra probabo.

Cum in Incerta editione multa eorum uitiorum quae in γ ζ η exorta sunt[275] non legantur, satis constat, quod Rothius etiam suspicatus est (p. LX adn.), eum qui hanc editionem curauit alio quoque codice usum esse. Hunc alterum codicem unum fuisse ex stirpis β libris hae lectiones demonstrant:[276] c. 2 (p. 100, 15) *secundum et*; c. 4 (p. 104, 1) *ipsos*, (p. 104, 3) *alia*; c. 6 (p. 105, 8) *diuarum*. Neque certissima argumenta desunt, quae doceant quem ad codicem stirpis β haec editio referenda sit. C. 17 (p. 113, 10) Incerta editio *MVERIVS*, quod sine dubio est typographi error pro *M. VERIVS*, te-

[272] Incerta editio indice caret.

[273] Vide supra p. 146.

[274] Typographorum error pro *exoluerunt*.

[275] Eodem iure suspicari licet alias interpolationes, quas librarius H_1 introduxit, huius alterius codicis opera ex editione Incerta sublatas esse. Nam has lectiones peculiares in H uiro illi docto qui eius archetypum exarauit quam imperito librario qui ipsum Harleianum confecit attribuere malim: c. 3 (p. 102, 14) *nūmis* pro *annuis*; c. 4 (p. 104, 10) *mersisse* pro *transisse*, (p. 103, 17) *quidam* pro *quidem*; c. 9 (p. 107, 5) *omnes* pro *omni*.

[276] Vide supra p. 116 sq.

statur. Osannus hoc praenomen ex hac ipsa editione textui primus restituit, quamuis confessus sit se ignorare unde sumptum esset, cum in Incerta nullus esset index. Duo soli codices **B** et **W** hoc praenomen ex indice restitutum exhibent. In illo etiam nomen una littera *R* ut in Incerta scriptum est.[277] C. 8 (p. 106, 13) *Enni elenchorum* in codice ϛ in *enim elenchorum* corruptum abierat; Incerta editio autem *ennitlencorum*, quod nusquam nisi in **B** (*enniclencorum*) reperies, exhibet. C. 10 (p. 108, 1) ubi stirps γ uerae lectionis *notus* memoriam amiserat nihil nisi alteram lectionem *natus* testans, Incertae editor ex altero codice auxilium petens *nominatus* scripsit, quod autem in solo **B** se habet. Haec quoque non nisi in Bodleiano et Incerta editione inuenies: c. 3 (p. 102, 13) *apuleum* pro *apuleium* in codicibus; c. 20 (p. 115, 9) *Claudio* pro *Clodio*; c. 25 (p. 119, 11) *esse* pro *etiam*, (p. 122, 3) *tum... tum*[278] pro *dum... dum* in Hersfeldensi; c. 28 (p. 124, 14) *epidicus*.[279] Haec autem habet Incerta cum **B** et paucis aliis libris scriptis: c. 11 (p. 110, 5) *et selibra* (*et selibia* **B**) (= **M**), (p. 110, 15) *Zenodocti* (= **K**); c. 20 (p. 115, 3) *hyginus* (= **V**), (p. 115, 11) *uixit* (= **K Q**); c. 28 (p. 124 ,11) *canutius* (= **O**); c. 30 (p. 127, 1) *excanduisset* (= **X D**). In **H** carminum uersus continue in ordine scripti sunt, cum **B** in c. 11, c. 18 (p. 114, 8 sq.), c. 22 (p. 116, 20-21) eos κατὰ στίχον compositos exhibet. Incerta editio eandem rationem atque **B** secuta est, nisi quod c. 22 (p. 116, 20-21) nullam habet uersuum distinctionem. Is qui Incertam editionem curauit rei metricae ignarus fuisse uidetur, cum c. 11 (p. 110, 4) *sapientiam sit*, c. 16 (p. 113, 9) *Et Epirota* cum **B** scripserit, quamquam $\mathbf{H}_1$ emendatiores lectiones exhibebat.[280]

Constat igitur eum qui Incertam editionem curauit praeter Harleiani archetypum alio codice ei Bodleiano simillimo usum esse. Non tamen puto eum ipsius Bodleiani copiam habuisse, sed potius eius codicis e quo **B** transcriptus esset.[281] Quod quidem nisi fallor probari potest. Nam compluriens et **H** et **B** corruptas lectiones habent, saepius etiam inter se fortuito consentientes, ubi Incerta ueram scripturam profert. Quodsi his locis **U** cum **H** conspirat, consentaneum est ueram lectionem in Harleiani archetypo se habere non potuisse. Unde uerisimillimum mihi uidetur In-

[277] *Marcus Verius* **B** *.M. Varrius* **W**. Cum et **H** et **U** indice careant, uerisimile est indicem iam in η defecisse; unde colligitur eum qui Incertam curauit hoc praenomen in $\mathbf{H}_1$ reperire non potuisse.

[278] *tum . . . et tum* in **B**.

[279] In eodem uersu Incertae editor codicis $\mathbf{H}_1$ lectionem *ab epidio* praetulit, et continuo ubi ueram scripturam *nucerino* in **B** (= **X**) inuenire potuerat, corruptam *nuncino* (*nucino* in Inc.) ex $\mathbf{H}_1$ suscepit. C. 3 (p. 101, 15) Incerta lectionem *istilio* uel ex $\mathbf{B}_1$ uel ex $\mathbf{H}_1$ accipere potuit, cum hi duo nescio quo casu hanc eandem corruptelam exhiberent. Item c. 15 (p. 112, 9) *lacerauerit* in Incertam ex alterutro fonte manare potuit.

[280] Vide supra p. 158.

[281] Vide supra p. 122.

certae editorem ueras lectiones in Bodleiani archetypo inuenisse ubi ipse **B** pessum ierit. Qui loci sunt:

η (H U) (*falso*)		**B** (*falso*)	**Incerta Ed.** (*recte*)
c. 1 (p. 100, 2)	rudi	rudi	rudi .s.
c. 2 (p. 101, 2)	recitarent	tractarent	retractarent
c. 3 (p. 102, 16)	doctissimis	doctissimis	notissimis
c. 4 (p. 103, 6)	Corneliusque	Corque	Cornelius quoque
c. 15 (p. 112, 13)	praeceptisque	praeceptisque	perceptisque

Eodem pertinere uidetur quod c. 11 (p. 110, 5) Incerta editio *et selibra formaris* testatur, **B** *et selibia furis*, **H** *et libra farris*; ubi uerisimile est in Bodleiani archetypo compendium aliquod pro *farris* extitisse, quod librarius **B** in *furis*, Incertae editor in *formaris* explicauerit. *Selibia* in **B** merae deprauationi deberi uidetur.

Eodem modo, nisi fallor, demonstrari potest Incertae editorem non ipso Harleiano sed eius archetypo $\mathbf{H_1}$ usum esse; siquidem c. 3 (p. 101, 16), *optimatum*, et c. 23 (p. 116, 22), *Rhemmius*, Incerta editio cum tota stirpe γ facit, in ipso Harleiano tamen haec uerba omissa sunt. Nam Incertae editor has lectiones ex $\mathbf{B_1}$ accipere non potuit, cum **B** cum ceteris suae stirpis *optimatium* (*quimanum* **D**) et *Rheminius* testetur.

Est nihilo minus quaedam confusio in Incertae editionis testimoniis, uelut c. 3 (p. 103, 2) *Sisennius* (*Sistenius* **H** om. **B**), (p. 103, 3) *opius* (*Oppius* **H B**) cum **U** Δ praebet; c. 4 (p. 103, 13) *rigido* (*rigida* **H** *tigida* **B**), c. 30 (p. 125, 18) *actaque ita* (*itaque* **H** *Atque ita* **B**) cum **K** exhibet; c. 5 (p. 104, 19) *Posthumius* cum **Q** profert. Quae tamen omnia fortuita mihi uidentur. Haec editio propriis lectionibus minime caret, quarum partem maximam typographorum erroribus attribuo, ut c. 18 (p. 114, 14) *ad .R. Sexti*; c. 23 (p. 117, 9) *.N. uarronem.* Tres notabiliores lectiones animaduerti: c. 18 (p. 114, 5) *mimographus* (= **X**); c. 23 (p. 117, 19) *insitam* pro *institutam*; c. 25 (p. 121, 2) *consulibus Hirtio et Pansa* pro *cum consulibus Hirtio et Pansa*. *Mimographus* restitui debere supra (p. 82) iudicaui, sed quo pacto in hanc editionem inrepserit non extrico. *Consulibus Hirtio et Pansa* uerbo *cum* omisso Aldus suscepit; Burmannus *cum* primus restituit, quod Baumgarten-Crusius sine iusta causa iterum deleuit. *Insitam* pro *institutam* Rothius edere ausus est. Alia in Incerta editione ad libitum immutata uidentur, ut c. 4 (p. 103, 13) *Ficrio* pro *Furio*, (p. 103, 20) *quemquam* pro *quem*; c. 10 (p. 108, 7) *professor* pro *praeceptor*, (p. 108, 19) *collegimus* pro *coegimus*; c. 30 (p. 126, 8) *timore* pro *pudore*.

Is qui Incertam editionem curauit utrumque librum manuscriptum satis accurate contulisse uidetur, secundum hanc normam, nisi fallor, ut codici $\mathbf{H_1}$ ubi textus sanus sibi uideretur oboediret, eis autem locis ubi $\mathbf{H_1}$ corruptelis laborare iudicaret auxilium a $\mathbf{B_1}$ peteret. Rothius (p. LVI) edi-

tionem Florentinam 1478 ueterum omnium longe optimam iudicauit. Ego quidem Incertam ueriorem Suetoniani opusculi imaginem praebere censeo.

Vt ad ipsum Harleianum redeam, tam multis propriis uitiis scatet, quae non nisi ob librari neglegentiam exoriri potuerint, ut hunc librum qui aetatem tulit nullo modo ei uiro docto, cuius operam supra (p. 158) descripsi, uindicare possim. Librarius igitur aliquis indoctus praestantius illud exemplar una cum notis marginalibus exscripsit, sed ita inepte et neglegenter ut haec inter multa alia admiserit: c. 3 (p. 102, 1) *Socerus* pro *Seruius*; c. 4 (p. 104, 21) *dicit* pro *diem*; c. 7 (p. 105, 15) *crediderunt* pro *crediderim*; c. 10 (p. 108, 11) *herniam* pro *Hermam* in exemplari, (p. 108, 18) *signant* pro *significat*, (p. 108, 18) *aliam nostris* pro *nostram aliis*, (p. 108, 19) *coeginius* pro *co egimus*; c. 21 (p. 116, 6) *nouem* pro *nouum*; c. 24 (118, 6) *quibus* pro *Probus*; c. 28 (p. 124, 12) *considis* pro *consularis*; uerba passim omissa, ut c. 1 (p. 100, 4) *eius*, (p. 100, 10) *eodem*; c. 2 (p. 101, 6) *quos*; c. 3 (p. 101, 16) *optimatium*; c. 23 (p. 117, 12) *omnium*.

Restat ut de duabus bonis lectionibus quas **H** solus[282] exhibet uerba faciam. C. 22 (p. 116, 18) *uerbo*, ubi ceteri libri omnes *uerba* testantur, inuenies. Dicat aliquis hanc esse coniecturam eius uiri docti qui $\mathbf{H}_1$ exarauit, quod tamen non puto, cum indoctus ille librarius qui ipsum Harleianum confecit litteras *a o e* saepius inter se confuderit, ut c. 4 (p. 104, 5) *iō* pro *iam*, quod etiam librarius **P** in *ideo* explicauit; c. 10 (p. 109, 1) *Antiquo* pro *antiqua*; c. 11 (p. 109, 6) $\widetilde{ipo}$ (*ipso* in **P**) pro *ipse*; c. 14 (p. 111, 7) *eo* pro *ea*. Quare hanc bonam lectionem, quamquam eam edere nullus dubitabo,[283] sorti magis quam coniecturae deberi suspicor. C. 30 (p. 126, 2) *incipere* in **H** ex *in opere* correctum legitur. Talis correctio ab eo librario, qui hunc codicem exarauit uix fieri poterat, sed mea opinione alicui lectori attribuenda est. Quod quomodocumque se habet, haec correctio ante Parisinum transcriptum facta est, cum hic *incipere* ostendat.

Vt rem haud multis uerbis dignam hic absoluam, Parisinum codicem Harleiani esse apographon Peterson Gudemannusque *Dialogum* castigantes recte iudicauerunt. Osannus tamen in Suetoni libello curando haud recte negauit. Namque argumenta omnia ab Osanno ad suam opinionem confirmandam prolata falsa collatione alterius utrius codicis nituntur. Has igitur discrepantias inter **H** et **P** extare ille longe a uero aberrans existimabat: c. 6 (p. 105, 2) *primo* **H** *patrio* **P**; c. 7 (p. 106, 3) *Atteius* **H** *Athenis* **P**, (p. 106, 5) *ipsius* **H** *impensius* **P**; c. 9 (p. 107, 20) *filium* **H** R_x^m **P**; c. 24 (p. 118, 11) *se* **H** *omnes* **P**; c. 26 (p. 123, 10) *hominum* **H** *uirorum* **P**, (p. 123, 15) *appellat* **H** omis. **P**. Genuina tamen horum codicum eisdem locis testimonia hic habes: $\overline{prio}$ **H** *patrio* **P**; *impensius* **H P**; athenis **H P**; R_x^m **H P**;

[282] Cum Parisino, ut semper, nisi aliter moneo.

[283] Nulla est causa cur tam longe a fide codicum discedatur, ut G. Faerni (apud Statium) coniecturam *uerbis* cum Reifferscheidio suscipiamus. Vide supra p. 81 sq.

se **H P**; *uirorum* **H P**; *appellat* omis. **H P**. Quocirca eosdem locos quos ad negandum protulit Osannus ego ad affirmandum exhibeo. Quibus etiam accedunt multae aliae lectiones, quae in his solis codicibus inueniuntur: c. 1 (p. 100, 4) *eius* om., (p. 100, 10) *eodem* om.; c. 2 (101, 1) *amicorum*, (p. 101, 4) *etiam*, (p. 101, 6) *quos* om.; c. 3 (p. 101, 16) *optimatium* om., (p. 102, 1) *Socerus* (pro *Seruius*), (p. 102, 8) *scriberet̄* **H** *scriber&ur* **P**; c. 4 (p. 103, 2) *Sistenius*, (p. 104, 3) *huius generis*, (p. 104, 5) *iō* **H** *ideo* **P** (pro *iam*), (p. 104, 10) *mersisse*; c. 5 (p. 104, 14) *Niganor*; c. 7 (105, 15) *crediderunt*, (p. 106, 2) *excesserint*; c. 9 (p. 106, 17) *more*, (p. 106, 18) *die in inimicorum*, (p. 106, 21) *inde* om., (p. 107, 13) *quo nam artificio*; c. 10 (p. 108, 11) *herniam*, (p. 108, 12) *quibus*, (p. 108, 18) *aliam nostris*, (p. 108, 19) *coeginius*, (p. 108, 24) *Asinium* om.; c. 11 (p. 109, 5) *Vulerius*, (p. 109, 6) *ipso*, (p. 109, 20) *extremam* bis; c. 13 (p. 111, 1) *litteratum*; c. 14 (p. 111, 7) *eo* (pro *ea*), (p. 111, 11) *Nudicum*, (p. 111, 13) *sum* om., c. 16 (p. 113, 9) *miracula*; c. 17 (p. 113, 14) *carior*, (p. 114, 1) *marmori*; c. 19 (p. 114, 17) *scrobonia*; c. 20 (p. 115, 4) *exalexandrinum*; c. 21 (p. 115, 14) *ingenitus*, (p. 116, 6) *et fecit*; c. 22 (p. 116, 16) *et* (*si*) om., (p. 116, 18) *uerbo*; c. 23 (p. 116, 22) *Remmius* om. spat. uac. nouem fere litt. relicto, (p. 117, 4) *insanus*, (p. 117, 12) *omnium* om., (p. 117, 18) *uestium* om., (p. 117, 19) *CCCLX*, (p. 118, 4) *possit*; c. 24 (p. 119, 4) *plurimi*; c. 25 (p. 119, 15) *ex rhetoribus*, (p. 120, 12) *ut* (pro *et*), (p. 121, 18) *liberius*, (p. 122, 8) *sicuti*, (p. 122, 17) *porca*; c. 28 (p. 124, 10) *in quibus*, (p. 124, 12) *considis*; c. 30 (p. 126, 2) *in opere* in *incipere* corr. **H** *incipere* **P**, (p. 126, 6) *uerius et rarius*. Peculiares autem lectiones in **P** plerumque eiusmodi sunt, quae ob librari neglegentiam exoriantur.[284]

Nunc ad Vrbinatem longe pessimum omnium mutilatum illum codicem et quasi umbram opusculi Suetoniani transeo. Cuius in foliis perlustrandis non unius sed complurium codicum fata legere mihi uideor; quae ad enarranda ab hoc ipso codice qui aetatem tulit progrediar. Codicis **U** librarius incredibili stultitia et neglegentia codicem suum exarauit. Exemplari multis glossis instructo usus esse uidetur, cum c. 2 (p. 100, 18) uerba *acroasis subinde* spatio uacuo complurium litterarum relicto omiserit, post lacunam autem *.i. interrogationes* scripserit; c. 23 (p. 117, 8) post *ex tempore* scripserit *subito*, quod tamen expunxit. Vix aliter explicari possunt tales corruptiones quales sunt c. 2 (p. 100, 13) *arbitramur* pro

[284] Hae fere sunt c. 6 (p. 105, 10) *id* om.; c. 9 (p. 107, 6) *et* om.; c. 10 (p. 108, 1) *notus* (*natus* **H**) om., (p. 108, 4) *affectione*, (p. 109, 2) *toto* (pro *noto*); c. 11 (p. 109, 15) *probantur* (recte; sed *al' hiero* *probabantur* in **H**); c. 13 (p. 110, 21) *VABERIVS* (*V Taberius* in **H**), (p. 110, 21) *Heros* (*heros* **H**); c. 15 (p. 112, 10) *Laustrarum* **P** *Laustaurum* **H**; c. 16 (p. 113, 5) *Latine* om.; c. 21 (p. 115, 17) *cum* bis; c. 23 (p. 118, 1) *mulieribus* **P** *mulierebus* **H**, (p. 118, 3) *fuerunt*; c. 24 (p. 118, 7) *donec . . . contulit* om., (p. 119, 1) *grammatic.s* **P** *grammatices* **H**, (p. 119, 6) *quaedam* om.; c. 25 (p. 121, 6) *cum diceret* **P** *9diceret* **H**; c. 30 (p. 126, 8) *moetu*.

opinamur; c. 3 (p. 101, 15) *preco fuerat* pro *praeconium fecerat*; c. 4 (p. 103, 10) *uocantur* pro *nominentur*; c. 8 (p. 106, 9) *retinendum* pro *tuendam*; c. 14 (p. 111, 15) *ad Athicam in epistola de Nicia*; c. 23 (p. 117, 18) *ita* pro *adeo*; c. 25 (p. 122, 13) *exempli gratia* pro *exempli causa*. Nescio qua peruersitate uerborum ordinem sescenties immutauit, ut c. 4 (p. 104, 3) *omnino sicci*, (p. 104, 15) *peruenit docendo*; c. 7 (p. 105, 17) *nec minus grece doctus quam latine*; c. 10 (p. 108, 3) *uerborum priscorum*; c. 14 (p. 111, 6) *uxorem pompeii*; c. 23 (p. 117, 10) *et natas litteras et morituras*. Alia futilia huius librari hic uides: c. 3 (p. 102, 1) *siti* pro *sit*; c. 4 (p. 104, 3) *nouis genus* pro *hoc genus*; c. 6 (p. 105, 9) *iudicibus* (= Q) pro *indicibus*, (p. 105, 10) *id ipse perdico* pro *ipse id per duas*; c. 7 (p. 106, 3) *& syrarenis* pro *etsi Ateius*;[285] c. 11 (p. 110, 6) *tegida* pro *tegula*; c. 14 (p. 111, 16) *Niciam illum nostrum* pro *mecum illum*; c. 17 (p. 113, 11) *inclamauit* pro *inclaruit*; c. 25 (p. 121, 5) *.C. Ciceroni* pro *.C. Curioni*.[286]

Alterius cuiusdam librari opus discernere uideor, qui non tam exemplar libelli Suetoniani quam breuiarium conficere uoluit. In uita Orbili Pupilli (c. 9) omnia post *destitutus* (p. 106, 19) usque ad *ut Horatius* (p. 107, 6) omisit, nisi quod ad Suetoni uerba reuocanda haec sola interpolauit: *hic in discipulos asper*. Deinde post Domiti Marsi uersiculum (l. 9) haec inuenies: *Quinquagessimo anno Consule Cicerone docuit maiore fama quam emolumento*, quae ad praecedentia (p. 106, 22) referenda sunt. Cetera autem omnia quae sequuntur in hac uita deficiunt. Item in Atei Philologi uita (c. 10) uerba inde ab *nonnullum* (p. 108, 10) ad capitis finem deficiunt, nisi quod (p. 108, 20) *coluit familiarissime C. Salustium* scripta inuenies. C. 11 (p. 109, 10) e Suetonii uerbis, *ut quidem apparere uel his uersiculis potest*, idem librarius, ut uidetur, haec effecit: *ut quidem apparet his versiculis*. C. 18 (p. 114, 5) post *adiuuit* (sic in U) uerba ad *haec* (l. 7) omisit et *scriberentur* in *scribuntur* mutauit. C. 23 (p. 117, 17) uerbis a *diligentissimus* ad *agros* (l. 18) omissis *adeo coleret* in *ita coluit* mutauit, cum coniunctiuus *coleret* non haberet unde penderet. C. 24 (p. 118, 14) *emendare* in *emendauit* immutauit atque sequentia ad *soli* omisit. In eodem capite uerba a *perraro* (p. 119, 6) ad *Reliquit* (l. 7) omisit. Librarium qui nostrum libellum his aliisque locis tam foede mutilauit eundem fuisse qui ipsum Vrbinatem exscripserit uix credo, cum huic ne istam quidem scientiolam attribuere possim.

Haud scio an tertius fuerit librarius qui foedissimas interpolationes ubique introduxit, ut c. 1 (p. 100, 6) *utranque linguam* (= a) pro *utraque lingua*; c. 3 (p. 102, 6) *meruit* pro *increuit*, (p. 102, 14) *a Delphitio* pro *ab Aeficio*; c. 4 (p. 103, 25) *quasi iam tum disertis* pro *quamquam iam tam discretis*, (p. 104,

[285] Fortasse *etsi Athenis* in exemplari. Vide supra p. 157.

[286] Nonnumquam idem librarius sua mira futilia in margine correxit, ut c. 11 (p. 110, 9) in text. *Oratio*, in marg. *modo*; c. 15 (p. 112, 14) in text. *Ipsorum*, in marg. *precium*; c. 25 (p. 120, 5) in text. *nimos*, in marg. *homines*.

2) *elocutiones* pro *allocutiones*. Sed quid parua enarrem? Idem c. 11 (p. 109, 6) ubi Suetonius scripserat *ipse libello, cui est titulus Indignatio*, haec concinnauit: *Ipse in libro cuius titulus est indagatio*; c. 21 (p. 116, 1) ad corruptum *quod elegantem* (pro *quo delegante*) sanandum haec effecit: *quod eleganter curam Bibliotecarum ordinandarum haberet in Octauie porticu suscepit.* C. 22 (p. 116, 10) *Syllogismum* et (l. 14) *sylogismo* pro *soloecismum* et *soloecismo* scripta inuenies; ibidemque pro Suetoni uerbis *arguere perseuerauit* uidebis *argute perscrutauit.* Denique in eodem codice c. 23 (p. 117, 19) pro *manu eius institutam satis constet* haec leguntur: *ex eius manu consitam et institutam constet satis.*[287]

Sunt tandem in codice **U** haud pauca uestigia manus emendatricis eius uiri docti qui optime de Suetonio meruit. Qui c. 29 (p. 125, 4) Cicerone adhibito corruptelas quae iam in Hersfeldensi codice extabant olim sanauit, licet posteriores librarii hunc quoque locum satis maculatum effecerint. Codex **U** solus *Tu uero adhibes*[288] pro *Tibi et* (*tibet* **W** omis. **O** *tibi* omis. **B**) in ceteris, *compotorum* pro *competitorum*, *in te quae* pro *in quem*, haec omnia fere ut in Ciceronis altera *Philippica* (42) ostendit. *Cui* (l. 6) in **U** ut in ceteris libris nostris deest. Vbi codices nostri *falsum* (corr. in *salsum* **L**) et Ciceronis codices *salsum* testantur, **U** *O insulsum* profert. Verba autem *in te et in tuos dicta dicere* ut in Ciceronis libris leguntur, in codicibus tamen Suetonianis *et in tuos dicere*, in **U** omnino omissa sunt. Idem codex (l. 8) *audite* et *et* omittit; item (l. 9) *iugera* pro *iugerum*, (l. 10) *non iniuria* pro *immunia* (*immuni* in Suetoni codicibus praeter **O**) scripta habet. Sed nemo, ut opinor, credet eum uirum doctum qui hunc locum Ciceronis opera sanauerit eodem tempore istos ineptissimos errores admisisse. Vt cetera ad libellum nostrum sanandum ab eodem uiro docto collata attingam, c. 3 (p. 102, 5) *praemortua* pro *praemortui* restituit, quod cautissimi editores suscipere non dubitauerunt;[289] c. 7 (p. 105, 15) is solus ueram scripturam *Scytobrachionis* assecutus est; c. 23 (p. 117, 14) *pepercisse* (= **O L**) suo loco restituit;[290] c. 25 (p. 122, 23) *libertatem* pro *libertate*, quod alibi non nisi in **B** inuenitur,[291] recte scripsit; c. 29 (p. 125, 2) meliorem formam *temptare* (= **W K** primitus in **G**) posuit. Idem librarius haec haud inepte emendauit: c. 21 (p. 116, 5) *inscribuntur* (= **G L**) pro *scribuntur*;[292] c. 23 (p. 117, 11) *presagiente* (= Δ) pro *praesagante*.[293] His quoque locis textui medelam adferre

[287] Verba quae sequuntur *CCCLXV uasa edidisse. Sed* omissa sunt.

[288] Nonnulli Ciceronis codices sic testantur, quamquam meliores *At uero adhibes* habent. Vide supra p. 79.

[289] *Praemortua* in editionibus Stephani coniecturae debetur. Osannus solus codicum lectionem restituit; dubito an recte.

[290] Vide supra p. 82.

[291] Vide supra p. 119.

[292] Vide supra p. 111 adn. 65.

[293] Beroaldus *praesagiente* primus edidit; quod Aldus suscepit atque uulgauit. Trossius, Osannus, Rothius ad codicum lectionem *praesagante* reuerterunt. Reifferscheidius *praesa-*

sibi uisus est: c. 1 (p. 100, 6) *notum est* (=Δ correcta lectio in **L**) pro *adnotum est* in exemplari; c. 2 (p. 100, 16) *in regione* pro *regione* (=G); c. 4 (p. 103, 15) *simulque grammaticum* pro *simul grammaticumque*; c. 6 (p. 105, 4) *simul* (=L Q) pro *simulque*;[294] c. 14 (p. 111, 14) *Verum* (=I) pro *utrum*. C. 4 (p. 104, 10) *statim*, c. 14 (p. 111, 10) *putem*, c. 23 (p. 117, 16) *caperet*, quae in γ in *stâti, pñte, carperet* abierant,[295] bene restituit. C. 2 (p. 101, 5) *scriptura* pro *scripta* in ζ reuocauit; c. 4 (p. 103, 10), ubi librarius ζ *appellant* pro *appellandos* scripserat, hic uir doctus *appellantur* coniecit; c. 4 (p. 104, 8) ubi *remoto* in ζ spatio uacuo relicto omissum erat, *uero* suppleuit.[296]

Codex **U** propter hoc quoque est insignis, quod c. 30 (p. 127, 4) is solus *Regum*, quod Decembrius in Hersfeldensi libro legit, testatur. Quomodo hic nodus soluendus sit nescio. Cum Decembrius *Regum* legerit, nostri autem codices *legum* testentur, uerisimile mihi uidetur *regum* in textu Hersfeldensis libri stetisse, alteram lectionem *legum* in margine scriptam fuisse; sed hanc lectionis uarietatem usque ad Vrbinatem codicem durauisse, neque in ullo alio codice qui aetatem tulit in lucem prouenisse omni probabilitate caret.

Hunc codicem pluribus uerbis quam quibus est dignus enarraui, ut aperte demonstrem turpissimum istum librum qui hodie est superstes nullo modo primo gradu ex η profluxisse potuisse, sed duos saltem codices deperditos inter **U** et η ponendos esse.

5. Codices C F Δ Q Editio Veneta a. 1474 e commvni Archetypo deperdito θ Ortvs dvcere probantvr

Ex altero codicis ζ apographo, quod θ nomino, reliqui quattuor libri, Cheltenhamensis (C) et eius apographon Florentinus (F), Vaticanus 4498 (Δ), Berolinensis (Q) profluxerunt. Cum Berolinensis, ut infra demonstrabo, e duobus exemplaribus confectus sit atque saepenumero a suae sectae memoria discedens cum ceteris fere libris conspiret, ad archetypum θ restituendum editionem Venetam a. 1474, quae his codicibus est coniunctissima, adhibeamus necesse est. Hanc igitur editionem quam siglo **Ven.** indico, in tabulis infra expositis tamquam librum manuscriptum adhibeo. Discrepantias inter libros **C F Δ Q Ven.** praeter orthographiam et litterarum maiuscularum et minuscularum vices accurate adnotaui; eorum autem codicum, quorum testimonia in dextra columna ostendo, grauiores modo discrepan-

---

giente resuscitauit, sed temere, cum Suetonius non sua sed Palaemonis uerba hic proferat. Nam, qui uariis nec uulgaribus metris utebatur, sine dubio uerba inusitata affectabat. G. M. Lane, *Harvard Studies* IX (1898) p. 23, uerba proxime praecedentia *secum et natas et morituras litteras* carminis uersum olim fecisse demonstrat. Fortasse *sed praesagante Vergilio* quoque ex aliquo Palaemonis uersu a Suetonio sumpta sunt.

[294] Vide supra p. 133 adn. 180.

[295] Vide supra p. 143 sq.

[296] Vide supra p. 152 sq.

tias indicaui. Florentinus codex ubique cum Cheltenhamensi conspirat, nisi aliter moneo; post autem c. 18 (p. 114, 4) *hic initio* deficit.

	θ (C F Δ Ven. Q)	M K H U ω
c. 1, p. 100, 1	Grammatica olim Romae ne in usu quidem	Grammatica Romae ne in usu quidem olim
3	nec tum (nec tunc Q)	necdum
8	latine praelegebant C latine perlegebant Δ Ven. Q	praelegebant (praeallegabant[397] D V L)
c. 2, p. 100, 14	*omis.*	in urbem
14	aullotes C Δ aulotes Ven. Q Millotes F (= B)	Mallotes
16	*omis.*	Palatii
p. 101, 8	legisset	legisse se
13	multi ac (= U)	multique ac
c. 3, p. 102, 6	gratia (et *omis.*) C Δ Ven. et gratia Q	et gratia
9	*omis.* C Δ Ven. uero Q	uero
p. 103, 4	gressu C Δ Ven. ingressu Q	ingressu
c. 4, p. 103, 6	in libello	libello
11	litteratos	litteratores
19	âicius C Accius F *omis. spatio vacuo decem fere litt. relicto* Δ ditius Ven. alicuius Q	alicuius
20	producerent C Δ Ven. produceretur F Q	produceretur
23	*omis.* (= L)	et
p. 104, 7	Romae non C Δ romae (non *omis.*) F Ven. nomine Q	nomine
11	patronum C Δ Ven. patronorum Q	patronorum

[397] Vide supra p. 123.

	θ (C F Δ Ven. Q)	M K H U ω
c. 5, p. 104, 17	*omis.* **C Δ Ven.** per **Q**	per
c. 6, p. 105, 10	inperastichi de libellis **C** imperastichi delibellis **F** in perastichi de libellis **Δ** in perascichi de libellis **Ven.** In perascichide libellis **Q**	in parastichide libelli (in parastichi de libelli **W**)
11	inscribuntur	inscribitur
c. 7, p. 105, 22	*omis.* **C Δ Ven.** non nisi **Q**	non nisi
22	mundis **C Δ Ven.** nundinis **Q**	nundinis
p. 106, 4	tradat **C Δ Ven.** tradit **F Q**	tradit
5	*omis.* **C Δ Ven.** (= **B**) esse **Q**	esse
c. 9, p. 106, 20	induit **C Δ Ven.** meruit **Q**	meruit
c. 9, p. 107, 6	sed ut **C F Ven.** ut (sed *omis.*) **Δ** ut et **Q**	ut et (et *omis.* **B U**)
c. 10, p. 108, 17	seu **C Δ Ven.** sic **Q**	sic
p. 109, 1	enim **C Δ** *omis.* **Ven.** eum **Q**	eum (*om.* **U**)
2	Salustium	Salustio
c. 11, p. 110, 8	et idem rursus	et rursus
c. 12, p. 110, 18	libertum dicebat. Edidit librum	libertum edidit. librum
c. 13, p. 110, 21	hiero suo meneaemptus heros nam&ra empturus **C** *omis.* (emptus *post* decatasta) **F** hiero suo menea emptus heros ramata empturus **Δ** hierausuomene (hi-	*uide supra p. 84*

	θ (C F Δ Ven. Q)	M K H U ω
	erasuomene **Ven.**) emptus heros empturus **Ven. Q.**	
c. 14, p. 111, 7	retulisset (rettulisset Δ)	pertulisset
14	si τοῦ **C F** sitoum Δ si Io. **Ven. Q.**	sit τοῦ **K** sit (τοῦ *omis.*) **H U** sint τοῦ (sint tot **W** τοῦ *omis.* **O**) ω
p. 112, 1	cintus **C** tritus Δ comitus **Ven.** uictus **Q**	coitus **M K H U** uictus ω
c. 15, p. 112, 5	aliisque	filiisque
6	telluris aedem **C** Δ telluris ede **Ven. Q**	telluris (telluris templum **D**)
9	uerecundo **C Ven. Q** uerecunde Δ	inuerecundo
9	subscripsisset **C Q Ven.** scripsisset Δ	scripsisset
c. 16, p. 112, 16	actici Sati **C** Attici Sati Δ actici Stati **F** atticisati **Q**	Satti (*uide supra p. 75*)
p. 113, 9	Epirota (=**H L** *m.3*)	Et Epirota
c. 17, p. 113, 10	libertus	libertinus
17	acciperet (=**B**)	reciperet
20	contra	circa
c. 18, p. 114, 5	mimographis **C** minographis Δ **Ven. Q**	mimographus **X** mimographos ω
c. 20, p. 115, 5	audii (*ex* audit) imitatus est **C** *omis.* Δ auide imitatus est **Ven. Q**	audiit (audiuit γ **N I**) et imitatus est
8	profuit **C Ven.** profuit *in* praefuit *corr.* **Q** praefuit Δ	praefuit
c. 21, p. 116, 1	*omis.*	Augusto etiam insinuatus est
5	*omis.* **C** Δ **Ven.** componere **Q**	componere

	θ (C Δ Ven. Q)	M K H U ω
c. 23, p. 116, 22	militaris **C Δ Ven.** mulieris **Q**	mulieris ω in litteris **B** militis **U**
p. 118, 2	dictoque **C Δ Ven.** dicto quoque **Q**	dicto quoque[298]
2	non infacto **C** non in facto **Δ** non facto **Ven.** non infaceto **Q**	non infaceto
3	qui cum (= **B D**)	qui eum (*om.* **L**)
c. 24, p. 118, 8	grammatisten **C Δ Ven.** grammatistam **Q**	grammatistam
9	sic cum Romae **C Δ Ven.** sit ut Romae **Q** (c *supra* t)	sicut Romae
p. 119, 6	minus **C Δ Ven.** nimis **Q**	nimis (unius **X**)
c. 25, p. 122, 5	anascenas **C Δ Ven.** (= **B L***m.3* **M**) anasceuas **Q**	anasceuas
p. 123, 4	reperiuntur **C Δ Ven.** reperientur **Q**	reperientur (repererunt **U**)
c. 27, p. 124, 1	Volcatius	Voltacilius **M H** Voltatilius **K** uolacilius **U** Oltacilius uel Octacilius ω[299]
12	9sus (ri *supra*) **C Δ** consucis **Ven.** consularis **Q**	consularis (considis **H** *omis.* **U**)
c. 28, p. 124, 13	Epidii **C Δ Ven.** (= *a corr. lect. in* **L**) Epidici **Q**	Epidici
c. 29, p. 125, 1	cum **C Δ Ven.** cui **Q**	cui
c. 30, p. 126, 10	parentem **C Δ Ven.** parentes **Q**	parentes
14	sedis **C Δ Ven.** cedis **Q**	caedis *uel* cedis

De propriis huius sectae lectionibus non est multum quod dicam. Librarium θ non omnino indoctum fuisse emendationes c. 16 (p. 112, 16) *Attici Satti*, (p. 113, 9) *Epirota*, c. 28 (p. 124, 13) *Epidii* demonstrant; sed

[298] Perperam Reiff. in apparatu.
[299] Vide supra p. 93 sq.

interpolationibus libidinose eum indulsisse atque transcribendi opera neglegenter functum esse cuiuis apparet. C. 18 (p. 114, 5) *mimographis*, hi codices Hersfeldensis memoriam, licet imperfecte, reuocare mihi uidentur, sed libenter concedo eos leuissima esse auctoritate.[300]

Vna interpolatio uel error horum codicum, c. 23 (p. 118, 3) *qui cum*, in editionibus usque ad hanc diem permansit, nisi quod Reifferscheidio *qui* (*cum*) *eum* edere placuit. Et codicum testimonia et linguae Latinae usus postulant ut locus sic edatur: *qui eum in turba osculum sibi ingerentem, quamquam refugiens, deuitare non posset.*

C. 17 (p. 113, 20) *contra* pro *circa* Vahlenus[301] restituendum esse iudicauit, quod sine dubio numquam fecisset, nisi Reifferscheidius lectionem *contra* libris O N I falso attribuisset. Quem errorem idem Reifferscheidius postea[302] correxit, sed in alterum delapsus est, cum scripturam *contra* non ante saeculum sextum decimum in editiones inrepsisse dixit. Nam *contra* ab Aldo ex editione Veneta a. 1474 susceptum uulgatum est; quod a Trossio etiam neglectum Osannus primus reiecit.

Libri C Δ Q editioque Veneta et ipsi in duas sectas ita sese distribuunt, ut nullus eorum ex ipso θ transcribi potuerit, sed ad duo codicis θ apographa deperdita, quae ϵ et μ nomino, referendi sint. Ex apographo ϵ Cheltenhamensis (C) et eius apographon Florentinus (F), et Vaticanus 4498 (Δ) ortus ducunt. Ex apographo μ autem profluxerunt editio Veneta 1474 et Berolinensis (Q), sed ea ratione ut librarius qui Berolinensem exarauit Pontani quoque librum adhiberet.[303]

6. Inter Codices C F Δ et θ Archetypvm deperditvm ϵ ponendvm demonstratvr.

Consensus mirus inter codices C et Δ in inscriptionibus, ubi uerba *historici* et *proemium* interpolata sunt, supra (p. 142) uideri potest.[304] Librarium γ libellum nostrum bipertite distribuisse supra (p. 141) adnotaui. Quod opus in C Δ ita est perfectum, ut grammaticorum index ei parti quae est de grammaticis, rhetorum autem index alteri parti quae est de rhetoribus praemissus sit. Cum tamen indices in Q et Veneta editione deficiant, nulla est causa cur haec distributio ad codicem θ referri non possit. In C Δ singulis capitibus singulae inscriptiones in ipso ordine praefixae sunt. Praeter grammaticorum et rhetorum nomina singulis capitibus praemissa haec quoque inuenies: ad c. 1 (p. 100, 1) *DE GRAMMATICES INVENTIONE* C *De inuentione grammatices* Δ; ad c. 4 (p. 103, 5) *De appella-*

[300] Vide supra p. 82.
[301] 1877, p. 4.
[302] 1877, p. 4.
[303] Vide infra p. 181 sq.
[304] Librarius F libri inscriptionem suo arbitrio mutauit. Vide supra p. 142.

tione grammaticorum; ad c. 25 (p. 119, 9) *De rhetoricae* (*Rhetorices* Δ) *inuentione et inuentoribus*. Ad c. 11 (p. 109, 11) in utroque codice legitur: *Endecasyllabi de Catone.* In Berolinensi quoque et Veneta editione singulorum grammaticorum nomina singulis capitibus praemissa sunt, sed ita ut cognomina compluriens deficiant. Ceterae capitum inscriptiones, quas modo enarraui, in **Q** et **Ven.** non inueniuntur; sed haud scio an omnes codici θ uindicandae sint. Namque ad c. 20 (p. 115, 3) **C** inscriptionem *M. iulius phriginus* exhibet, sed in textu *Caius*[305] *iulius priginus* profert; **Q** autem et in inscriptione et in textu *M. IVLIVS Phryginus*[306] testatur; Δ etiam in inscriptione et in textu *Caius Julius Phriginus.*[307] Quae cum ita sint, huius capitis inscriptio certa ratione codici θ assignanda est. Cheltenhamensis, ut semper, ueriorem codicis θ imaginem repraesentat, cum librarius **Q** praenomen *M.* ex inscriptione in textum perperam susceperit, librarius autem Δ praenomen *Caius* e textu inscriptioni recte restituerit.

Sunt tamen haud paucae aliae codicum **C** Δ proprietates, quae nullo modo ad θ referri possint, sed in eius apographo ε originem habere debuerint. Quae uitia correctoris manus in **C** nunc radendo nunc uerbis omissis addendis nunc super uersum scribendo partim sustulit. In tabula infra exhibita lectiones in **C** quae e priore manu fluxerunt semper ostendi, sed eis locis ubi secunda manus medelam adtulit asteriscum adfixi. Codex **F** cum correcta lectione in **C** semper conspirat nisi aliter moneo.

		ε (**C F** Δ)	**Ven. Q** ω
c. 1, p. 100,	9	quidem (= **B**)	quod
c. 3, p. 103,	3	h⁷ **C** hoc Δ	hic
c. 4, p. 104,	3	ħt genus **C** habet genus Δ	hoc genus (huius generis **H** nouis genus **U**)
c. 6, p. 105,	2	nouissim̃ **C** nouissimum Δ	nouissime
	4	*& composuit que **C** & composuit quę Δ	composuitque
c. 7, p. 105,	17	singularem	singularis
	21	*ut . . . traderet *omis.* **C** ita . . . traderet *omis.*[308] Δ	ita ut quotidie (cotidie **W**) praecepta eloquentiae traderet
c. 9, p. 107,	3	incuriis (iniuriis **F**)	iniuriis
	5	ṇe	naturae (ṅė **K**)

[305] *C* in litura ut uid.

[306] *PHRIGINVS* in inscriptione.

[307] Eadem confusio in Veneta editione uidetur, qui *M. Iulius Phryginus* in inscriptione habeat, sed praenomen in textu omittat.

[308] *ita* post *declamare* (sic) insertum Δ.

		ε (**C F** Δ)	**Ven. Q** ω
	5	quas (quos **F**) (= **D**)	quos
c. 10, p. 108,	6	deme (deinde **F**)	deinde
	11	h^7 mâ **C** mea Δ	hermam (*uel* haere)
	18	h^7 mâ **C** hec mea Δ	hermam
	19	*quas	quam
c. 11, p. 109,	7	eosque	eoque
	8	licenter (= **U**)	licentia
c. 13, p. 111,	2	tanta cum	tanta eum (eum tanta **B U** tantarum **W**)
	4	recepit	receperit
c. 14, p. 111,	10	*curae	cures **Ven. Q** curare ω
	13	*triticus (= **K**)	criticus
c. 15, p. 112,	10	& pompinonem quae **C** & pompinonem Δ & popinonemque **F**	popinonemque
c. 16, p. 112,	19	**omis.*	se
c. 17, p. 113,	13	*quam materia **C** qua materia Δ	materia quam
	17	docuit: quae (docuitque **F**)	docuitque
c. 18, p. 114,	13	comparare	compararet **H U Ven. Q** compararetur ω
c. 19, p. 114,	18	*Verrus	Verrius
c. 20, p. 115,	9	fuit quae **C** Fuit Δ	fuitque
c. 21, p. 116,	5	absoluit	absoluitque
c. 22, p. 116,	10	ad id sar̊. sr̊ **C** ad id sr° Δ	ab aduersario (adaduersarios **N**)
c. 23, p. 118,	3	*omis.*	sibi
c. 26, p. 123,	6	*scire fert **C** scire refert Δ	sic refert
	13	**omis.*	de ui
c. 29, p. 125,	4	*coti	ioci

Hae lectiones praeter dubitationem demonstrare mihi uidentur codices **C** Δ non ex ipso θ sed ex eius apographo ε transciptos esse, quamquam non infitior tantam esse testimoniorum confusionem in huius interpolati generis libris, ut uix sperem me omnia ad liquidum perducturum.[309] Librarius

[309] Sic c. 3 (p. 102, 8) *supra*, c. 7 (p. 106, 5) *impensius*, c. 17 (p. 114, 1) *marmore* (*marmori* **H**), c. 30 (p. 125, 18) *itaque*, quae omnia in **H U** Δ leguntur, librario ϛ attribuenda uidentur, quamquam eisdem locis **C. Ven.** haec testantur: *super*, *ipsius impensius*, *marmoreo*, *itaque ita*.

C exemplar multo fidelius quam librarius Δ transcripsit. Ille compendia quae resoluere non ausus est religiose repetiit, dum hic compendia saepius falso explicauit, corruptelis quas in exemplari repperit nonnumquam medelam adferre conatus est, compluriens etiam uerba corrupta quae idoneam sententiam praebere non uidebantur omnino omisit.

Correctoris manus in C, ut e tabula quam modo ostendi apparet, saepius ea uitia quae in ϵ, communi archetypo codicum C Δ, exorta sunt sustulit, sed numquam, quod sciam, corruptelas quae in γ ζ θ exortae sunt sanauit; unde conicere licet correctorem ipso codice θ usum esse. Idem corrector nonnulla uitia quae in solo C se habebant sustulit, ut c. 9 (p. 106, 17) *pipillus* in *pupillus* corr.; c. 20 (p. 115, 12) *Modestas* in *Modestus* corr.; c. 25 (p. 122, 1) *illustros* in *illustres* corr. Alia suo Marte immutauit, ut c. 10 (p. 108, 18) *hylen* in *hylem*; c. 20 (p. 115, 4) *et* ante *non nulli* additum; c. 23 (p. 117, 9) *si* post *ut* additum.

De codicis Cheltenhamensis propriis lectionibus, quae non permultae sunt, nihil est quod dicam. Ne unum quidem uerbum omissum in C, nisi quae in Δ et Veneta editione deficiunt, animaduerti. C. 2 (p. 101, 9) C cum solo M ueram scripturam *lenaeus* (pro *leneus* in libris) testatur, quod tamen in ϵ originem habuisse corruptela *lenatus* in Δ demonstrat. C. 11 (p. 110, 3) *Mirator* pro *Miratur* R. Ellisio[310] ualde placuit, qui tamen leuem auctoritatem huius codicis perspexisse non uidetur. Quin etiam in hoc ipso codice *Mirator* e *Miratur* est correctum, nisi fallor.[311]

Item c. 4 (p. 104, 2) C *peraphrasis* ostendit, ubi H U Δ Ven. *periphrasis* habent. His etiam locis C cum editione Veneta contra codicum Δ Q ceterorumque testimonia conspirat: c. 4 (p. 104, 9) *declarare* pro *declamare*; c. 5 (p. 104, 20) *infantiam* pro *infamiam;* c. 8 (p. 106, 11) *cumam* pro *Cumas*; c. 11 (p. 110, 1) *nimio* pro *minio*. His denique locis Veneta cum Δ contra C Q ceterosque facit: c. 10 (p. 109, 3) *interque* Ven. *indeque* Δ pro *uitetque*; c. 18 (p. 114, 6) *pergula* pro *percula* uel *parcula* in ceteris; c. 25 (p. 123, 1) *sinthesis* (uide supra p. 99; p. 102). Haud paucos codices huius interpolati generis olim in usu fuisse puto, ita ut aliorum lectiones in aliis a lectoribus margini adtextae inde in contextum inrepserint.

[310] *Journal of Philology* XIX (1891) p. 181.

[311] Non solum in ipso codice apparet, sed etiam eius apographon Florentinus *miratur* cum ceteris profert. In Cheltenhamensi codice copiosae sunt adnotationes marginales, quarum nonnullae manum alicuius uiri docti detegunt, ut ad c. 1 (p. 100, 5) *Liuius andronicus*; ad c. 4 (p. 103, 21) *L. sylla ob opprobium* (sic) *lrātor est appellatus*, quae, nisi fallor, ad Catullum 14, 9 respiciunt; ad c. 4 (p. 104, 7), ubi C Δ (uide supra p. 167) *Romae non* pro *nomine* habent, *Cladius hic fuit*; ad c. 7 (p. 105, 12) *De hoc gniꝑhone apud plinium*; ad c. 15 (p. 112, 4) *De Leneo apud plinium;* ad c. 25 (p. 119, 13), ubi Suetonius senatus consultum et censorium edictum profert, *Hoc & gellius*; ad Ploti Galli uitae initium (c. 26, p. 123, 5) *De hoc etiam quintilianus*. Hae adnotationes, quod iudicare possim, eidem manui (uel manibus? haud scio an scriptura inde ab c. 23 [p. 117, 8] *faciebat* [fol. 14b] ex altera quadam manu fluxerit) quae ipsum codicem exarauit attribuendae sunt. Probabilius mihi uidetur eas non in C originem habuisse, sed ex eius archetypo transcriptas esse. Fortasse librario θ, qui non indoctus erat (uide supra p. 170), uindicandae sunt. In Δ Q nullae omnino sunt notae marginales.

Quin Florentinus codex Cheltenhamensis sit apographon uix dubium uidetur, cum easdem lectiones quibus **C** Δ sunt insignes exhibeat, eis autem locis ubi corrector errores in ε exortos ex **C** sustulit, **F** cum correcta lectione in **C** consentiat.[312] Has etiam lectiones non nisi in **C** et **F** inuenies: c. 2 (p. 100, 15) *actalo*; c. 4 (p. 103, 11) *nominemur*, (p. 104, 4) *arridi* (= **B**), (p. 104, 9) *declarare*;[313] c. 5 (p. 104, 15) *fertur quae* **C** *ferturquae* littera *a* interlita **F**, (p. 104, 16) *sᵗaturam* **C** *staturam* priore littera *t* deleta **F**, (p. 104, 20) *infantiam*[313] (= **M**); c. 7 (p. 106, 5) *ipsius impensius*;[313] c. 8 (p. 106, 11) *cumam*;[313] c. 9 (p. 106, 19) *aperpituram*, (p. 107, 4) *negligenter at*, (p. 107, 6) *sed ut Oratius*; c. 14 (p. 111, 9) *decollegimus* (pro *de eo legimus*), (p. 111, 14) *acticum*, (p. 112, 1) *cintus*. Florentini codicis librarium non indoctum fuisse tales lectiones persuadent: c. 1 (p. 100, 5) *Liuium Andronycum*; c. 3 (p. 102, 11) *daphniden*; c. 4 (p. 103, 16) *grammatisten* (pro *grammatistam* in ϒ); c. 9 (p. 107, 17) *ubinams* pro *ubinam est*; c. 11 (p. 110, 4) *sit sapientiam* pro *sapientiam sit* in archetypo. Fortasse hic librarius et ipse grammaticus erat, cum ad c. 4 (p. 103, 23), ubi Suetonius ueteres grammaticos olim rhetoricam docuisse affirmat, haec in margine scripserit: *Sic fit hodie et male quidem*.[314] Quare non est admirandum si librarius **F** uitiosum exemplar **C** saepius emendare temptauit (nonnumquam etiam ueras scripturas restituens), ut c. 2 (p. 100, 14) *Aullotes* **C** *Millotes*[315] **F** (= **B**); c. 3 (p. 102, 5) *uiuerit* **C** *uixerit* **F** (= Δ), (p. 103, 1) *docueret* **C** *docuerunt* **F**; c. 4 (p. 103, 19) *ãicius* **C** *Accius*[316] **F**, (p. 103, 20) *producerent* **C** *produceretur* **F**, (p. 104, 7) *romae non* (= Δ; pro *nomine*) **C** *romae* **F**; c. 5 (p. 104, 20) *quadam* **C** *quandam* **F**; c. 7 (p. 105, 18) *numquam* **C** *unquam* **F**, (p. 105, 19) *liberalite* **C** *liberalitate* **F**, (p. 106, 1) *fungerent* **C** *fungeretur* **F**, (p. 106, 4) *tradat* **C** (= Δ) *tradit* **F**; c. 9 (p. 106, 19) *inigrantibus* **C** *migrantibus* **F** (pro *magistratibus*), (p. 106, 19) *deme* **C** *deinde* **F**, (p. 107, 3) *incuriis* **C** *iniuriis* **F**, (p. 107, 5) *ne acerbae* (pro *naturae acerbae*) **C** *inacerbae* **F**, (p. 107, 5) *quas* **C** (= Δ **D**) *quos* **F**; c. 10 (p. 108, 5) *atenis* **C** *ateius* **F**, (p. 108, 6) *deme* **C** (= Δ) *deinde* **F**; c. 11 (p. 109, 5) *bursem* **C** *Burseni* **F**, (p. 109, 22) *actor* **C** *auctor* **F**, (p. 110, 15) *cratis* **C** *cratetis* **F**; c. 14 (p. 111, 6) *memini* **C** *memii* **F**, (p. 111, 6) *strupro* **C** *stupro* **F**, (p. 111, 16) *humanite* **C** *humanitate* **F**. Nonnulla peccata uel libidinose uel neglegenter admisit librarius **F**: in inscriptione *C. Suetonius Tranquillus Rhetor*; c. 1 (p. 100, 2) *fuit* pro *erat*; c. 2 (p. 100, 13) *opinatur*,

[312] Vide supra p. 172 sq.

[313] Sic tamen in ε ut uidetur. Vide supra p. 173 adn. 309.

[314] Librarius **F** codicem suum copiosis indiculis et adnotationibus marginalibus instruxit. Quod ad c. 4 (p. 103, 18) *Orbilius lucius* scripsit, praenomen ex indice in exemplari **C** accepisse uidetur, licet ipse indicem non transcripserit.

[315] Litterae *au-* in **C** pro *mi-* facile capere possis.

[316] Compendium pro *alicuius* ipse librarius **C** non intellexit; librarius **F** autem nomen proprium inde effingere uoluit, ut nota marginalis, *Accius uenalis*, docet. Vide supra p. 167.

(p. 101, 2) *retractarentur*, (p. 101, 11) *Instruxerum* pro *Instruxerunt*; c. 3 (p. 102, 9) *traduntur* (=**D**), (p. 102, 16) *doctissimis* (=**B H U**) pro *notissimis*; c. 4 (p. 104, 10) *e* omis., (p. 104, 12) *prodi* omis.; c. 5 (p. 104, 21) *decessisse* (*secessiss&* **C**); c. 6 (p. 105, 7) *indicaret*; c. 7 (p. 105, 21) *quotidiā*; c. 8 (p. 106, 14) *nummis* pro *nummum*; in inscriptione ad c. 9 *P. Pupillus beneuentanus Orbilius*; c. 10 (p. 108, 22) *componere* om.; c. 11 (p. 109, 10) *quidam* (=Δ **Q**), c. 13 (p. 111, 2) *honestitate*; c. 16 (p. 113, 7) *praelegegere*; c. 17 (p. 113, 15) *praeceptor* om., (p. 113, 17) *catilianae*; c. 18 (p. 114, 4) *cognominauit* (=**O**). Florentinus codex, ut supra dixi, post c. 18 (p. 114, 4) *hic initio* deficit.

Vaticanum 4498 e Cheltenhamensi transcriptum esse non puto, cum c. 29 (p. 124, 30) **C** *extricte se*, Δ *extitisse* testetur, quae lectionis uarietas ad codicem γ et meo quidem iudicio ad ipsum Hersfeldensem referenda est.[317] Quidam errores etiam in Δ ob exemplaris scripturam haud satis compositam et claram exorti esse uidentur, ut c. 14 (p. 111, 6) *rodicillos* pro *codicillos*; c. 20 (p. 115, 5) *Alexandria capta studiose et audiit et*[318] omissa spatio uacuo tredecim fere litterarum relicto; c. 21 (p. 115, 17) *rideret* pro *uideret*; c. 23 (p. 117, 18) *restium* pro *uestium*, sed nulla est causa cur codicis **C** scriptura talem confusionem inductura fuerit.

Codex Δ aliquanto est deterior quam Cheltenhamensis. Multa uerba deficiunt, quorum nonnulla consulto omissa esse uidentur, ut c. 7 (p. 100, 2) *tum*, (p. 100, 5) *qui idem* (*quidem* in libris); c. 7 (p. 105, 21) *autem*; c. 14 (p. 111, 7) *ei*;[319] c. 28 (p. 124, 9) *dicendi* (*docendi* in γ). Alia neglegenter omissa sunt, ut c. 6 (105, 7) *iudicaret*; c. 9 (p. 107, 12) *diuersae partis aduocato*; c. 10 (p. 107, 22) *Hunc Capito Ateius notus* (*natus* in γ); c. 12 (p. 110, 19) *suis*; c. 20 (p. 115, 9) *poetae*; c. 22 (p. 116, 14) *Hic idem cum ex oratione Tiberium reprehendisset*; c. 23 (p. 117, 4) *mox*. Interpolatio in codice Δ manifesta est, ut unum certissimum exemplum citem. C. 27 (p. 124, 1) corruptela *Volcatius* pro *Voltacilius* in θ exorta est, quamquam **C** in indice (p. 99, 3) ueram scripturam *Voltacilius* exhibet. In Δ autem *uolcatius* in indicem e contextu inrepsit. Duae optimae lectiones, quae iure in editionibus locum obtinent, in hoc solo libro manuscripto inueniuntur: c. 18 (p. 114, 6) *pergula* pro *percula* uel *parcula*; c. 24 (p. 118, 10) *repeteret* pro *repetere* in codicibus.[320] C. 24 (p. 119, 4) Δ solus *cum plurimum* exhibet, quod Ihmius restituendum iudicauit.[321] C. 1 (p. 100, 7) *notum* (=**U** correcta lectio in **L**) pro corrupto *adnotum*; c. 4 (p. 103, 20) *titulis* pro *titulos* in exemplari haud inepte substi-

[317] Vide supra p. 145 sq.

[318] Vide supra p. 169.

[319] *Et* in ϵ ut uidetur, cum **C** sic testetur.

[320] *pergula* in Veneta editione se habet, unde ab Aldo susceptum est. *repetere* in Veneta editione 1474 se habet, sed *repeteret* in editione Romana (uide supra p. 36). Osannus *repeteret* primus edidit, quod iam dudum a Schotto uel coniectura, uel, quod suspicor, ex editione Romana propositum erat. Pessime hoc loco Reifferscheidius codicum testimonia obscurat.

[321] Vide supra p. 124 adn. 129.

tuit; c. 2 (p. 100, 14) *Aristarchi* (= β H U) recte scripsit. C. 23 (p. 117, 16) librarius Δ ueram scripturam *caperet*, quae in γ in *carperet*[322] abierat, restituit. Has etiam lectiones, quae in ζ pessum ierant[323] sanauit: c. 3 (p. 102, 11) *nummum* pro *nummis*; c. 4 (p. 104, 11) *numerum* pro *numero*; c. 6 (p. 105, 8) *e numero* pro *& numero*.[324] Earum corruptelarum quae in θ exortae sunt[325] has bene correxit librarius Δ: c. 15 (p. 112, 9) *scripsisset* pro *subscripsisset*; c. 20 (p. 115, 8) *praefuit* pro *profuit*.

Alia in Δ temere mutata sunt, ut formae Graecae substitutae, c. 2 (p. 100, 13) *grammatices*, (p. 101, 11) *grammaticen*, c. 3 (p. 102, 16) *grammatice*, c. 27 (p. 124, 4) *Rhetoricen*; c. 2 (p. 101, 11) *Lucilius* pro *L.*; c. 4 (p. 103, 10) *appellantur* pro *nominentur*,[326] (p. 103, 22) *in litteris* pro *litteris*; c. 11 (p. 109, 20) *in summa pauperie et pene inopia* (= H); [327] c. 12 (p. 110, 17) *Kalatorque* pro *calatorque*; c. 23 (p. 117, 11) *presagiente* (= U) pro *praesagante*;[328] c. 25 (p. 120, 11) *Neque ita placet neque ita uidetur*.[329] Alia quidem huius codicis propria ita merae deprauationi debentur,[330] ut dubitem an hae omnes proprietates quas enumeraui in uno atque eodem libro originem habuisse potuerint. Vix dubium uidetur quin inter Δ et ε tertius quidam codex ponendus sit, sed codex tam uitiosus quam Δ indignus est qui altius indagetur.

7. Codex Q et Editio Veneta a. 1474 e commvni Archetypo deperdito μ proflvxisse, Librarivs tamen Q dvobvs Exemplaribvs vsvs esse demonstratvr

Relinquitur ut codicem μ commune archetypum Berolinensis codicis et Venetae editionis restituam. Cuius ad uitiosam memoriam reuocandam lectiones quae sequuntur satis habeantur:

	μ (Ven. Q)	C Δ ω
c. 1, p. 100, 5	et oratores semigraeci[331]	et semigraeci

[322] In U Q quoque restitutum. Vide supra p. 145.

[323] Vide supra p. 152 sq.

[324] *& numero* pro *ex numero* in ζ.

[325] Vide supra p. 167 sq.

[326] *nominemur* in C.

[327] Vide supra p. 125 adn. 132.

[328] Vide supra p. 165 adn. 293.

[329] Propter corruptam lectionem in exemplari. Vide supra p. 145.

[330] E. g., c. 3 (p. 102, 16) *nouissimis* pro *notissimis*; c. 4 (p. 104, 6) *ne quidem* pro *me quidem*; c. 6 (p. 105, 8) *aut* pro *ait*; c. 9 (p. 107, 15) *erat is* pro *aetatis*; c. 20 (p. 115, 12) *ustius* pro *Iulius*. Vide et supra p. 176.

[331] Errauit Rothius (p. LVI) cum hanc lectionem nulla fuisse in editione impressa ante Aldinam affirmauit.

	μ (Q Ven.)	C Δ ω
c. 2, p. 100, 20	sunt imitati	imitati
p. 101, 4	unico	uno
6	quo	quos
7	Vertius	Vectius (uettius O)
9	Ianeus	leneus (lenaeus M C lenatus Δ Lęneus N G laenius W)
c. 3, p. 101, 16	Tantus	Tantum (tamen I)
17	fauor	fautor
p. 102, 12	Panosgarema	panosagacema[332]
15	conductum multos edocuisse	conductus (*uel* conductos) multos edoceret (mutoscedo doceret O W)[333]
c. 4, p. 103, 9	appellat	appellant (appellantur U) ꝭ appellandos ω
c. 5, p. 104, 19	posthumius	*vide supra p. 87*
c. 7, p. 105, 16	temporis	temporum
c. 9, p. 106, 19	aperturam	appituram C pręturam Δ apud preturam H *omis.* U apperituram G aperituram I appituram B appituram V apparituram ω
c. 10, p. 108, 22	breuia	breuiare C Δ breuiore H *omis.* U breuiario ω
c. 11, p. 109, 19	doctrina	dictinna[334]
c. 13, p. 110, 21	hierausuomene	*uide supra p. 84*
21	deacatasta	de catasta
c. 14, p. 111, 10	cures	curae C Δ (*corr. m. 2 in* C) curare ω
c. 14, p. 111, 12	expersum	expensum
14	utrum si Io.	utrum si τοῦ C utrum sitoum Δ utrum sit τοῦ K utrum sit H Verum sit U utrum sint τοῦ (tot W τοῦ *omis.* O) ω
c. 15, p. 112, 5	et comes	comes
c. 16, p. 113, 2	dominationem	damnationem
c. 18, p. 114, 3	Sarentinus	Tarentinus
c. 20, p. 115, 5	auide	audiit[335] *uel* audiuit
c. 21, p. 115, 14	spoletinus	Spoleti natus
15	curiae et ob industriam	cura et industria
p. 116, 2	octauis	Octauiae

[332] Vide supra p. 95 sq.
[333] Vide supra p. 79 sq.
[334] Vide supra p. 108.
[335] Vide supra p. 169.

		μ (Q Ven.)	C Δ ω
c. 23, p. 117,	8	uero ex uariis	uero uariis
	18	inde carnium	inde callium **C** Δ **H** *omis.* **U** prouincialium **G***m.1* **I** promercalium ω
c. 25, p. 120,	6	ludos	ludum
	10	*omis.* (= **B**)	malorum Δ maiorum ω
	10	placent (neque *omis.*) **Q** placant (neque *omis.*) **Ven.**	placet neque Δ placent neque ω
c. 26, p. 123,	6	titumium	titomnium Δ Titinnium ω Titinium **O K** Ticinium **W**

Librarius μ, quamuis huic libidinosae interpolationi quam uidisti indulserit, haud pauca uitia, quae in suo exemplari θ legit, correxit. Primo c. 25 (p. 119, 13 sq.) in senatus consulto et censorum edicto Gellio etiam adhibito complures corruptelas sanauit. L. 13 **Q Ven.** cum solo **L** *Messalla* (*messala* **L**) pro *sala* exhibent; (p. 120, 4) soli **Q Ven.** ueram lectionem *ita edixerunt* proferunt; l. 7 *latinos rhetoras* recte testantur, cum *latinos* alibi in solis **O W N** Gm.2 inueniatur, inque eisdem *rhetora sibi* pro *rhetoras ibi*[336] scriptum sit. Vera scriptura (l. 11) *recta* quae in γ pessum ierat[337] in **Q Ven.** restituta est. Vbi **Q** cum ceteris fere libris *ne renuntiatum* ostendit, **Ven.** genuinam scripturam *renuntiatum* (= **O**)[338] profert. Quocirca librarium μ *renuntiatum* pro *ne renuntiatum* e Gellio restituisse, sed librarium **Q** corruptelam e Pontani libro repetisse iudico. **Q** autem (l. 12) *eo uenire* et (l. 13) *ostenderemus* recte exhibet, dum Veneta editio corruptelas a librario ζ admissas *euenire* et *ostendamus* repetit, ita ut haec uitia a librario μ in Gellio adhibendo neglecta esse uideantur, librarius **Q** autem ueras formas e Pontani exemplari restituisse censendus sit. Alia eodem loco quae e Gellio corrigere potuit librarius μ neglexit: (p. 119, 13) *C.* omis., (p. 120, 2) *ut si ei rei p.*[339] pro *uti ei e re p.*, (p. 120, 9) *quae* a librario γ omissum. Neque lectiones Suetonianas (p. 119, 15) *rhetoribus* et (p. 120, 12) *uidetur* mutauit, ubi Gelli codices *de rhetoribus* et *uisum est* testantur. Grauia etiam uitia hoc loco idem librarius, ut uidetur, admisit, (p. 120, 10) *maiorum* et (11) *neque* (*recta*) omissis.[340] Vt cetera a librario μ bene correcta attingam, c. 11 (p. 110,

[336] Correxit eadem man. in **O**. Vide supra p. 88.

[337] Vide supra p. 145.

[338] Vide supra p. 45.

[339] Sic in **H Q Ven.** *ut si* in omnibus codicibus Suetonianis praeter **O W**. Vide supra p. 78 sq.

[340] In Veneta editione inter *rhetoribus* (p. 119, 15) et *de ea re* interpolatio *S. Cos.* inrepsit, quae ab Aldo suscepta est. Cum librarius **Q** uerba a *praetor* (p. 119, 14) ad *animaduerteret* (p. 120, 1) ob uerba *M. Pomponius praetor* repetita neglegentissime omiserit, nescio utrum haec interpolatio ad codicem μ referenda sit necne.

4) *sit sapientiam* (= **L H**) pro *sapientiam sit* restituit, et hos locos, qui a librario γ corrupti erant, sanauit:

	μ (**Q Ven.**) ω	γ
c. 1, p. 100, 8	siquid	siquidem (siquid **H U**)
c. 5, p. 104, 17	indicat	indicatur
c. 11, p. 109, 21	modico (modice **X**)	medico
c. 15, p. 112, 9	lacerauerit	lacerauit (= α **D**) (lacerauerit **H**)
c. 23, p. 117, 16	caperet	carperet (caperet **U** Δ)

His etiam locis corruptelas in ζ exortas in integrum restituit librarius μ:

	μ (**Q Ven.**) ω	ζ
c. 2, p. 101, 5	scriptur̄ **Ven.** scripturae **Q** scriptura ω	scripta (scriptura **U**)
c. 4, p. 104, 10	in numerum	in numero (in numerum Δ)
c. 6, p. 106, 13	precipuum	principium
c. 25, p. 121, 13	processerint	processerunt

Tales correctiones coniectura fieri facile potuerunt, neque uerisimile mihi uidetur librarium μ alia subsidia atque exemplar θ et Gelli aliquod exemplar uel manuscriptum uel impressum habuisse.[341] Non tamen liquet unde librarius μ c. 11 (p. 110, 5) *et selibra* (= **M Ed. Inc.** *et selibia* **B**) acceperit, neque quo modo c. 9 (p. 107, 20) *exemplum* (= **M K**) uel in codicem μ uel in Venetam editionem[342] inrepserit. Duas lectiones exhibent **Q Ven.** quae librorum **D V L** sunt propriae, c. 4 (p. 103, 7) *quidem uulgo* (= **U**) pro *uulgo quidem*; c. 12 (p. 110, 17) *filioque* pro *filio quoque*; quae sorti deberi mihi uidentur.

Codice μ quodam modo restituto, qui tabulas supra (p. 142 sq.; p. 152 sq.; p. 167 sq.) expositas perlustrauerit, continuo perspiciet Berolinensis librarium multas corruptelas in γ ζ θ exortas, quas in exemplari μ legere debebat, sustulisse. Hunc librarium, praesertim cum se neglegentissimum et satis indoctum praestiterit, tam multas genuinas lectiones coniectura reuocauisse nemo credet. Satis constat igitur librarium **Q** praeter exemplar μ alterius quoque codicis a tota stirpe γ omnino alieni copiam habuisse. Neque certissima argumenta desunt, quae doceant hunc alterum codicem unum fuisse e stirpis β libris, cum **Q** has lectiones uel totius stirpis β uel

[341] Nonnumquam Veneta editio corruptelis quae in ζ exortae sunt medelam adferre frustra conata est, ut c. 8 (p. 106, 10) *eius* pro *enim* in ζ (corruptum ex *etiam*), (p. 106, 13) *enim* (corruptum ex *Ennii* in ζ) omissum; c. 9 (p. 107, 4) *negligenter ab* pro *negligenter ac* in ζ (corruptum ex *negligentia aut*). Cum **Q** his locis ueras lectiones e Pontani libro reuocare posset, non diiudicari potest, utrum tales coniecturae ei qui Venetam editionem curauit an librario μ attribuendae sint.

[342] Librarius μ R_x^m in exemplari θ legere debebat. Vide supra p. 146. **Q** ueram lectionem *filium* e Pontani codice restitutum habet.

codicum **D V L** peculiares habeat: c. 3 (p. 102, 13) *Catullo*; c. 4 (p. 104, 1) *ipsos*, (p. 104, 3) *alia*; c. 6 (p. 105, 8) *diuarum*; c. 8 (p. 106, 8) *grammaticae*; c. 18 (p. 114, 4) *pasides*; c. 22 (p. 116, 13) *sibi sed*; c. 23 (p. 116, 22) *Rheminius*; c. 4 (p. 103, 25) *iam*; c. 5 (p. 104, 21) *obisse*; c. 15 (p. 112, 13) *perceptisque* e *praeceptisque* corr.; c. 25 (p. 121, 11) *profluit*, (p. 122, 17) *adfuit*; c. 27 (p. 124, 3) *&*; c. 30 (p. 126, 4) *adornate*, (p. 126, 13) *sui*, (p. 126, 15) *personalem*. Neque minus est dubium ad quem potissimum stirpis β codicem liber **Q** referendus sit, siquidem hae lectiones Leidensis codicis propriae in Berolinensi quoque inueniuntur: c. 4 (p. 104, 6) *reputo*; c. 6 (p. 105, 4) *simul* (= **U**); c. 7 (p. 105, 20) *adhuc* omis.; c. 9 (p. 106, 21) *non* omis.; c. 14 (p. 111, 8) *magister Ciceronis*, (p. 111, 13) *obelixi*; c. 25 (p. 120, 2) *non essent*; c. 30 (p. 126, 5) *tamen*. Antonius igitur Sinibaldus Florentinus, qui Berolinensem codicem Neapoli anno 1477 exscripsit, praeter exemplar μ uel ipsum Leidensem codicem, qui, ut Georgius Wissowa (p. XXI sq.) demonstrauit, etiam post annum 1476 Neapoli erat, uel Leidensis archetypum, quod Iouianus Pontanus ibidem anno 1460 exarauit, adhibuit. Si ipso Leidensi usus est Sinibaldus, hoc in promptu est, hunc codicem correctoris manum (m.3) nondum expertum esse. Nam has lectiones exhibet **Q** una cum **L**, quas m.3 in **L** postea mutauit:[343] c. 16 (p. 113, 8) *uersiculis*; c. 25 (p. 121, 11) *profluit*, (p. 122, 5) *anasceuas*,[344] (p. 122, 22) *res cogniti sunt*; c. 30 (p. 127, 2) *redigerent*. Sed, nisi fallor, aliqua uerisimilitudine demonstrare licet **Q** non ex ipso **L** sed e Pontani codice hausisse. C. 2 (p. 102, 11) Berolinensis a tota stirpe γ discedens genuinam scripturam *Leuius* (*Laeuius* scribendum erat) profert. Eodem loco nescio quo casu **L** suae sectae memoriam respuens *Lęneus*, idem fere quod stirpis γ codices praeter **Q** exhibent, testatur.[345] Constat igitur librarium **Q** scripturam *Leuius* neque e codice μ neque ex Leidensi accipere potuisse. Quocirca *Lęneus* in **L** non Pontani coniecturae attribuendum uidetur sed eius qui ipsum **L** exarauit, et librarius **Q**, nisi omnia fallunt, ueram scripturam *Leuius* in Pontani libro inuenit. Item c. 17 (p. 113, 11) Leidensis *claruit*, quod alibi non nisi in **Q** et **H** inuenitur, in ordine exhibet. Eadem autem manus quae codicem **L** exarauit litteris *in* supra uersum scriptis *claruit* in *inclaruit* ad ceterorum fere codicum memoriam correxit. Cum **Q** *claruit* testetur, uerisimile est hanc formam e Pontani libro acceptum esse, neque librarium **L** sui ipsius sed Pontani errorem correxisse, cum *in* supra uersum scripserit. Aliud argumentum in c. 11 (p. 110, 15) inuenisse mihi uideor, ubi codex **V** *crateris* (= **M K U**) pro *Cratetis* ostendit, **L** autem, cuius pater Pontani exemplar tamquam frater codicis **V** habendus est,[346] *Crateri* profert. **Q** autem a suae sectae memoria[347]

[343] Vide supra p. 136.
[344] *anascenas* in μ se habere debebat. Vide supra p. 170.
[345] *leneus* in editione Veneta quoque. Vide supra p. 143.
[346] Vide supra p. 128 sq.
[347] *Cratetis* Δ **Ven.** *cratis* **C.**

discedens *Crateris* ostendit, quod non ex Leidensi sed e Pontani codice suscipi debebat.

Ipsum Berolinensem non alium quendam codicem, e quo ille transcriptus sit, e Pontani exemplari hausisse puto, cum compluriens ubi **Q** suae sectae lectiones haberet, postea ad Pontaniani libri memoriam correctus sit: c. 15 (p. 112, 13) *praeceptisque* in *perceptisque*; c. 17 (p. 113, 11) *exercitandum* in *exercitanda*; c. 20 (p. 115, 8) *profuit* in *prȩfuit*. C. 22 (p. 116, 8) librarius **Q** *molestissimus* e Pontani libro accepit, sed ne alterius lectionis *modestissimus* memoria periret, litteram *d* supra *l* scripsit.

Quamquam Berolinensem codicem ex editione Veneta Pontani etiam exemplari adhibito confectum esse non credo, hoc eadem fiducia qua Rothius[348] affirmare non possum, cum cuiuis apparere debeat, locos ab Rothio prolatos nihil ualere ad suam opinionem confirmandam, siquidem omnibus eis locis ubi Veneta editio falsas peculiares lectiones exhibet **Q** ueras lectiones e Pontani codice restituere potuit. Est tamen exigua copia lectionum, quae demonstrare uideantur Rothium uerum coniecisse, etiam si non probauit. C. 26 (p. 123, 14) **Ven.** *hordear meum* pro *hordearium eum* habet, **Q** autem *hordear eum*. Sed librarius **Q** hanc lectionem e Pontani libro suscipere non potuit, quippe qui *ordinarium eum* testetur. Haec discrepantia inter **Q** et Venetam editionem ad quoddam compendium in communi eorum archetypo referenda est, et qualis esset huius compendi natura $\textit{hordea}\overset{m}{\textit{r}}$ in **K** et **C** et $\textit{horde}\overset{4m}{\textit{a}}$ in **M** nos docent. Idem compendium librario Δ fraudes fecit, siquidem *hordeare* scripsit. Item c. 29 (p. 125, 3) editio Veneta *congiarium* recte profert, **Q** falso *congiar*. Qui error in **Q** manifesto ad compendium $\textit{congia}\overset{m}{\textit{r}}$ uel tale quid referendus est. C. 18 (p. 114, 4) Veneta editio *se sonans nominauit* pro *se transnominauit* exhibet; **Q** uerae lectioni propius accedens *se transuolauit* testatur, quod e Venetae editionis testimonio effingi numquam poterat.

Vna lectio, quae in solo **Q** inuenitur, digna est quae commemoretur. C. 3 (p. 101, 15) nescio quo casu is solus ueram scripturam *stilo* pro *istilo* praebet.

8. Consensvs inter Stirpes α et γ tractatvr

Quaedam affinitas inter stirpes α et γ quaestionem prouocat, num artius uinculum inter has duas stirpes quam inter α et β aut inter β et γ statuendum sit.[349] Sic c. 23 (p. 117, 7) α et γ *nec non etiam* recte proferunt

[348] *Praefat.* p. LVIII: "Non esse hunc codicem excriptum e Veneta editione a.1474, cum qua mira ei necessitudo intercedit, multa comprobant, ut una eademque pagina 258 hae lectiones: *uiueret*, *atque magis*, *pretia uero*, *ingressu*, *epistola ostendit*, *rigida* (perperam hoc!), quarum loco editio illa has praefert: *uixerit*, *ac magis*, *pretia*, *gressu*, *epistola*, *tigida*."

[349] *Dialogi* editores hanc necessitudinem inter α et γ agnoscere uidentur. Vide Gudemanni stemma infra p. 191 exhibitum. Stirps β = **X** in *Dialogi* stemmate.

contra ***nec ni etiam*** in **X** et β; c. 26 (p. 123, 14) ***hordearium,*** litteram ***e*** inter ***d*** et ***a*** recte ostendunt, ubi **X** et β litteram ***i*** exhibent.[350] Deinde c. 15 (p. 112, 10), quamquam sine dubio lectio duplex ***lurchonem: curchonem*** uel codici **Y** uel Hersfeldensi assignanda est, ***curchonem*** non nisi in α et γ reperitur.[351] Sunt denique complures corruptelae quas α et γ communes habent:

	α γ (*falso*)	**X** β (*recte*)
c. 3, p. 101, 16	optimatum	optimatium (quimanum **D**)
c. 13, p. 110, 21	empturus	emptus (***uide supra p. 84 sq.***)
c. 15, p. 112, 8	oris improbi	oris probi (probi oris **O** oris probum **D** probi ***in*** probri ***mut. m.2*** **W**)
9	lacerauit α **M K U C** Δ (=**D**) laceraũit **H** lacerauerit **Q**	lacerauerit
c. 17, p. 113, 18	sestertia (***uel*** sextertia) centena	centena sestertia (***uel*** sextertia)
c. 20, p. 115, 5	audiuit **N I** γ ***omis. in text. add.*** audiit ***in marg. m.2*** **G**	audiit
c. 25, p. 121, 18	consueuerant ω consueuerant ***e*** consuerunt ***corr. eadem man. ut uid.*** **G** consuerant ***e*** consuerunt ***corr. ut uid.*** **H** consuerant **C Q** consueuerunt **U**	consuerant
c. 30, p. 126, 5	tantum modo (= tantum m̄o **B**) (tamen non **Q**)	tantum non (tamen non **L**)

Neque est infitiandum codices **G** et **I** ueriorem imaginem archetypi α praebere posse quam codicem **N**, cum hic contaminationem e familia **X** perpes-

[350] Vide supra p. 92; p. 118.

[351] Vide supra p. 98. ***surconem*** in **B** e ***lurconem*** corruptum puto.

sus sit, atque archetypi *α* corruptelas hoc modo sanare potuerit.[352] His igitur in locis **G I** cum *γ* contra **N X** *β* faciunt:

	G I *γ*	**N X** *β*
c. 5, p. 104, 17	per hoc (= **D**)	per haec **N L Q** per hec *ω*
c. 7, p. 105, 20	prius (*in* primum *corr. m.2* **G**) (primum[353] **Q**)	primum
c. 24, p. 118, 11	se (= **B**) (*corr. in* omnes *m.2* **G** omnes **Q**)	omnes

Huc accedunt quattuor lectiones quas **G I** una cum eis stirpis *γ* codicibus qui ex *ζ* profluxerunt exhibent:

	G I *ζ*	**N M K X** *β*
c. 17, p. 114, 1	perite **I** *ζ* periti (l' parieti) (parieti *add. m.2 ut uid.*) **G** (pariete **Q**)	parieti
c. 20, p. 115, 4	*omis.*	puerum
c. 25, p. 120, 3	interrupto (*in* interiecto *corr. m. 2* **G**)	interiecto
p. 121, 13	processerunt (*in* processerint *corr. m.2* **G**)	processerint (processer ∓ **K**)

Eodem forte pertinet quod c. 17 (p. 114, 1) **G** cum codicis *ζ* nepotibus praeter **C Q** *marmore* pro *marmoreo* testatur;[354] c. 22 (p. 116, 18) etiam **G** *eum* (l' olim), **I** *eum* ostendit, quamquam scriptura *eum* alibi non nisi in solo **U** inuenitur.[355]

Quibus ex testimoniis, quorum non tam numerum quam indolem pensitare oporteat, num quid certi concludi possit perdubium mihi uidetur. Discrepantiae inter *optimatum* et *optimatium*, *lacerauit* et *lacerauerit* (compendiose *laceraũit*), *audiuit* et *audiit*, *consueuerant* et *consuerant*, *tantum m̄o* et *tantum nō*, *hoc* et *hec*, *processerunt* et *processerint*, tam paruae sunt ut facile in duobus codicibus omnino fortuito exoriri potuerint. Quae opinio hoc confirmari uidetur quod *lacerauit* et *hoc* in **D** quoque, *tantum m̄o*

[352] Vide supra p. 87; p. 113.

[353] *primo* in ed. Ven.

[354] Compendiose *mãmorō* in **I**. Codicis **H** lectio *marmori* ad *marmore* sine dubio referenda est.

[355] *olim* m.2. in **G**.

etiam in **B** leguntur. Ordo uerborum ut in *sestertia centena* et *centena sestertia* a librariis oscitantibus tam saepe mutabatur ut hunc errorem in duobus codicibus factum esse nihil esset admirandum; neque est quod in *prius: primum* et *interrupto: interiecto* magnopere haereas. Duplicem lectionem *omnes: se* uel codici **Y** uel ipsi Hersfeldensi attribuo,[356] cum *se* in **B** quoque reperiatur, et discrepantia *parie i: perite* eadem ratione explicari potest. Non tamen infitior *probi: improbi* aliquem scrupulum mihi inicere. Sed hic error et in α et in γ e uerbo sequente *inuerecundo* nasci poterat; neque a uero alienum uidetur librarios α et γ hunc locum emendauisse sibi uisos esse, siquidem in **W** *probi* in *probri* secunda manu mutatum demonstrat facetiam quae his uerbis inest scribas eius aetatis fefellisse. Tam omnino est exiguus textus nostri libelli Suetoniani ut quae fortuita esse possunt non iniuria quandam cognationem inter stirpes α et γ indicare uideantur. Altior inquisitio de *Dialogi* codicum nexu, quam breui me suscipere posse spero, huic obscuritati lumen diffundet. Si codices α et γ non ex ipso **Y** sed e quodam eius apographo deperdito fluxisse censemus, non omnia ad liquidum perducuntur, quoniam corruptelarum quas **G I** cum ζ praeferunt nulla ratio redditur. Restat igitur altera coniectura, codicem α quasdam lectiones ex ζ adsciuisse; quod fieri posse non nego, sed certa argumenta desunt. Mirum quidem esset, si inter multa et uaria stirpis α peccata et stirpis γ uitia, quae sescenta sunt, eaedem corruptelae hic illic non deprehenderentur.[357]

Quae tandem de codicum undeuiginti nostrorum nexu comperta habeo hoc in stemma contuli:[358]

[356] Vide supra p. 101.

[357] Bis etiam easdem corruptelas in β et γ animaduerti:

	$\beta\ \gamma$	α X		
c. 5, p. 104, 19	post huius (*uide supra p. 89*)	post hoc **G I**	*omis.* **N**	posthus **X**
c. 10, p. 109, 2	nil	nihil		

[358] Sigla ad codices deperditos designandos uncis inclusi.


[Codex Hersfeldensis Saeculi VIIII uel X Romae Anno 1455 Visus]
[X]
[Y]
O
W (1466)
[α]
[β]
[γ]
[ν]
N
G
I
[λ]
[B1]
B
[δ]
[ζ]
M (1464)
K
[η]
[S1]
[θ]
S
Liber Pontani (1460)
V
[D1]
Ed. Florent. (1478)
D
L
Ed. Inc. (1471?)
[H1]
H
P
[U2]
[U1]
U
[μ]
[ε]
Q (1477)
Ed. Ven. (1474)
Δ
C
F

CAPVT V

QVID VIRI DOCTI IN SVETONI FRAGMENTO ET DIALOGO TACITEO RECENSENDIS DE NOSTRIS CODICIBVS ADHVC IVDICAVERINT

Non ignoro ea quae de codicum Suetonianorum consortione supra exposui ualde differre ab eis quae ex indagationibus uirorum doctissimorum in Suetoni fragmento et *Dialogo* Taciteo recensendis prouenerunt. Restat igitur ut de opinionibus quas alii de hac re conceperunt breuiter disseram.

De Suetonio non est multum quod dicam, siquidem uiri doctissimi, qui ad hunc libellum edendum curam atque doctrinam contulerunt, familiis stirpibusque ordinandis numquam studuerunt. Trossius Leidensem codicem tam eximia esse bonitate duxit, ut ceteri omnes neglegi possent. Osannus illius codicum exiguae copiae qua usus est ueram indolem ita parum perspexit, ut non solum L, qui etiam hodie inter meliores libros habendus est, sed etiam turpissimos istos codices Harleianum, Parisinum, Berolinensem, omnes quasi apographa ipsius Hersfeldensis libri haberet. Quid, quod ob collationes neglegentissime factas ne hoc quidem perspexit, Parisinum ex Harleiano transcriptum esse![359]

Neque Rothius, quamuis editionem prioribus longe antecellentem confecerit, magnum processum in nexu qui est inter nostros codices rite aestimando habuit. Quod ex eo apparet, quod Leidensem et Gudianum codices "duo quasi apographa"[360] libri Hersfeldensis statuit. Duo omnino genera librorum distinguit Rothius, quorum unum indice grammaticorum et rhetorum praeditum sit, alterum indice plerumque careat. Quam opinionem, ut ab Rothio enuntiatam, cum parum sibi consentanea mihi uideatur, ipsius uerbis proferre malim:[361] "Distinguimus igitur duo librorum genera, quorum alterum indice praefixo notabile codices Vaticanos 1518 et 1862, Leidensem, Gudianum, Neapolitanum, praeterea Florentinam editionem complectitur, simulque interna sua praestantia commendatur, alterum libros continens Vaticanum 4498, Florentinum, Venetum, Berolinensem, Harleianum, Parisinum cum editionibus Incerta ac Veneta a. 1474 et indice caret et auctoritate. Et indicem quidem per se spectatum ad librorum bonitatem nihil facere, Florentina editio et Vaticanus liber 4498 conuincunt, quorum illa indice carens meliori librorum generi, hic indice praeditus deteriori assignandus fuit. Sed facilius hoc argumento tibi persuadebis, deteriores libros omnes ex aliquo exemplo melioris generis iam satis depravato,

[359] Vide supra p. 162 sq.
[360] *Praefat.* p. LXVI.
[361] *Praefat.* p. LX.

qualis Vaticanus 4498 est, facta insuper indicis iactura, esse derivatos." Duo iudicia inter se repugnantia prompsisse Rothius mihi uidetur: primo indicem quoddam esse bonitatis pignus, deinde indicem per se spectatum nihil ad bonitatem facere. Quorum enuntiatorum huic libenter assentior, illud a uero abhorrere neque ad rem pertinere iudico. Rothi opinio etiam ipsius rei ignoratione nititur, cum Neapolitanus codex indice non sit praeditus sed indice careat; Venetus codex, quem indicis iacturam perpessum ille existimauit, indicem habeat; neque in Florentina editione index consilio editoris, ut Rothius alibi[362] iudicauit, omissus uideatur, sed propterea quod in exemplari quo editor usus est iam deficiebat, siquidem in Hauniensi codice non inuenitur.[363] Cuiuis hanc quaestionem inuestiganti apparet indicem non solum in duobus apographis **X** et **Y** ex Hersfeldensi libro transcriptum esse, sed etiam in omnibus tribus apographis codicis **Y** locum obtinuisse. In stirpe α optimus codex **N** indice caret, ceteri deteriores **G I** indicem habent. In stirpe β duo optimi libri **V L** et unus deterior **B** indicem conseruant, cum alter deterior codex **D** eum omiserit. In stirpe γ optimus codex **M** indicem praebet, dum **K H P** eo caret, quamquam integriores sunt quam **C** et Δ qui indice praediti sunt. Duo autem reliqui codices **U Q** uterque pessimus indicem amiserunt. Quae cum ita sint, quamuis optimi libri fere omnes indicem exhibeant, contrarium pessimos libros indice carere non sequitur; neque index quicquam ualet ad genera librorum statuenda. Hanc rem haud multis uerbis dignam haberem, nisi Ihmius quodam modo Rothi sententiae suffragari uisus est.[364]

Reifferscheidius in codicibus nostris ordinandis aliquantulo processit, cum Vaticanum 1862 et Pontani librum, e quo Leidensis transcriptus est, e communi archetypo profluxisse recte iudicauerit. Hunc autem Vaticani et libri Pontaniani parentem ex *apographo Henochiano* transcriptum haud recte censuit Reifferscheidius. Quo de *apographo Henochiano*, quod numquam nisi in Reifferscheidi mente extitit pauca infra (p. 192) dicam. Codices stirpis γ, quam nomino, sua indagatione omnino indignos existimauit Reifferscheidius; neque codicum Bodleiani et Hauniensis, quorum ille, nisi fallor, uiro doctissimo omnino ignotus erat, ullam rationem habuit. Quattuor reliquos libros **O N G I** quibus usus est sic summatim dimisit:[365] "quattuor igitur illi, quamquam inter se singuli affines sunt et omnes interdum secum consentiunt, discrepant a Vaticano, tamen modo hic modo ille propius ad Vaticani memoriam accedunt. nec possis omnino ex

[362] *Praefat.* p. LVIII.

[363] Vide supra p. 126 sq.

[364] *Op. cit.* p. 543: "Das sind 11 Handschriften; aber es existiren mehr, mindestens 18, von denen, glaube ich, wenigstens die jenigen einer genaueren Prüfung unterzogen werden sollten, die den index capitum aufweisen. Denn Roths summarische Classification: libri meliores mit dem index, deteriores ohne den index, hat manches für sich."

[365] *Op. cit.* p. 415.

eis unius apographi imaginem restaurare, ut ex diuersorum librorum testimoniis conflati uideantur."

Codices Suetoniani post Reifferscheidium quasi perpetua obliuione obruti sunt.[366] Contra in *Dialogo* Taciteo recensendo uiri doctissimi inde ab Adolfo Michaelisio (a. 1868) usque ad Alfredum Gudemannum (a. 1914) huic de codicum nexu ac fide inquisitioni summum studium adhibuerunt, atque sententias ualde discordes conceperunt. De priorum Michaelisi, Baehrensi, aliorumque sententiis nihil est quod dicam, cum omnes docta illa Friderici Scheueri disputatione explosae sint. Restat igitur ut stemmata a Scheuero Gudemannoque efficta proferam, atque pauca de opionione a Fr. Car. Wickio nuperrime proposita dicam, quo lector facilius intellegere possit, quid uiri doctissimi de *Dialogi* codicum nexu hodie existiment.

Priusquam ad hoc negotium transeo, nonnulla de codice Vaticano 4498 (Δ) excutienda sunt. Viri docti in *Dialogo* recensendo codicis Δ rationem fere semper habuerunt, ceteros meae stirpis γ codices quibus *Dialogus* continetur tantum non silentio praetermiserunt. Ergo quaeritur quo pacto *Dialogi* editores huic corruptissimo codici tantum negoti dederint, ceteros autem huius stirpis uel longe praestantiores ut **M** et **K**, uel aliquanto integriores ut **H** et **P** sua inquisitione indignos habuerint. Quod ego intellegere prorsus nequeo, si *Dialogus* a codicis Δ librario ex eodem archetypo transcriptus est e quo Suetoni fragmentum. Sed librarium Δ Suetoni libellum ex uno archetypo corruptissimo, *Dialogum* autem ex alio archetypo omnino alieno et longe praestantiore transcripsisse, nisi omnia me fallunt, facile tibi persuadebis. Ego quidem, cum ea legi quae *Dialogi* editores de codice Δ scripserunt, eundem librum quem in Suetonio ante oculos habeo agnoscere omnino nequeo. E tabulis a Scheuero (p. 19 sq.) exhibitis primo obtutu apparet *Dialogi* codicem Δ cognatissimum esse cum libris Neapolitano et Vaticano 1518. In Suetonio autem nulla necessitudo cum his libris, praeter eam fortuitam conspirationem inter stirpes α et γ, de qua modo (p. 182 sq.) uerba feci, ei intercedit. Deinde teste Baehrensio[367] codex Δ numquam e studio emendandi est immutatus; sed in Suetonio hic codex turpissimis interpolationibus est foedatus. Denique, si Gudemanno fidem habemus[368] codex Δ perpaucas lectiones peculiares, quae nullo in alio codice inueniantur, habet; in Suetonio e contrario multas lectiones (praecipue uerba omissa) quas alibi frustra requiras ostendit. Si stemmata infra prolata inspexeris, hunc codicem auctore Scheuero tertio gradu, Gudemanno auctore secundo gradu ex Hersfeldensi libro originem ducere uidebis; in Suetonio autem codicem sex uel pluribus gradibus ab Hersfeldensi remotum[369] demonstraui. Praeterea tota indoles huius codicis, si externa inspicimus, docere debet *Dialogum* et Suetoni fragmentum non ex eodem

[366] Vide tamen supra p. 57 sq.
[367] *Comment. Crit.* p. 46.
[368] *Ed. alt.* p. 121.
[369] Vide stemma supra p. 186.

archetypo acceptos esse. Hic codex insignis est quod solus inter nostros libros quattuor ea opuscula *Agricolam*, *Germaniam*, *Dialogum*, Suetoni fragmentum, quae in ipso Hersfeldensi se habebant, continet. Sed nemo est, quod sciam, qui existimet hunc codicem ab ipso Hersfeldensi antequam *Agricola* recisus esset, transcriptum esse. Quod si uerum esset, hic ceteris omnibus praeferendus esset; cum tamen eum in Suetonio post Vrbinatem pessimum omnium pronuntiare uix dubito. In promptu igitur est, huius codicis librarium *Agricolam* ex alio fonte atque *Dialogum*, *Germaniam*, fragmentum Suetonianum sumpsisse. Quis autem negare audeat *Dialogum* et Suetoni libellum e duobus diuersis fontibus in hunc codicem profluxisse? Quid uero quod codex Δ multa alia praeter haec quattuor opuscula continet![370] Nonne hoc plane demonstrat eum ex diuersissimis exemplaribus conflatum esse? Adde quod libellus Suetonianus in Δ non est coniunctus cum opusculis Taciteis, sed inter eum et *Agricolam*, qui primum locum inter opuscula Tacitea obtinet, intercedit Plinius (!) *De Viris Illustribus*. Postremo inspiciamus eos codices qui in libello Suetoniano codici Δ cognatissimi sunt. Totius stirpis γ praeter Δ unus solus **M** *Germaniam*, *Dialogum*, fragmentumque Suetonianum complectitur, **K H U P** *Dialogum* et Suetonium habent, ceteri **C F Q** nullum horum opusculorum nisi Suetoni fragmentum continent. Verisimile igitur est *Germaniae* iacturam iam in ζ factam esse, codicem autem θ, e quo **C F Q** una cum Δ profluxerunt, nihil nisi Suetoni libellum habuisse. Quod si uerum est librarius Δ Suetoni fragmentum ex eodem archetypo e quo *Dialogum* et *Germaniam* nullo modo transcribere potuit. Hoc igitur admonito, eam partem codicis Δ quae *Dialogum* complectatur minime eiusdem sectae haberi posse atque eam partem qua Suetoni libellus contineatur, stemmata a Scheuero et Gudemanno restituta exhibebo. Sigla quibus in Suetonio usus sum iuxta ea a Scheuero Gudemannoque usurpata posui.[371] Haec igitur Scheuer effinxit:



[370] Vide supra p. 34.

[371] Codices Gudianus, Bodleianus, Hauniensis *Dialogo* carent.

Duabus rebus longe a mea opinione discedit Scheuer; primo quod Ottobonianum et Vindobonensem codices non e fratre sed e filio codicis **Y** transcriptos iudicat; deinde quod e contrario Vaticanum 1862 et codicem Pontanianum non e codicis **Y** filio, ut ego censeo, sed ex eius fratre originem traxisse existimat. Quo iure Scheuer Ottobonianum et Vindobonensem codices ad archetypum **Y** referat non extrico, neque ille quicquam nisi paucissima atque leuissima argumenta[372] ad hanc opinionem confirmandam protulit. Quod etiam Georgius Andresenus recognouit, qui, quamquam ad Scheueri opinionem inclinabat, hoc iudicium de patrueli condicione codicum **O W** et **N I** altiore inquisitione egere censuerit.[373] Quam inquisitionem Alfredus Gudemannus in altera editione a. 1914 instituens Scheueri opinionem falsam esse arguit, atque codices Ottobonianum et Vindobonensem diuersa uia ac ceteros originem ex Hersfeldensi libro trahere recte iudicauit. Hoc igitur stemma effinxit Gudemannus:



Vt Gudemanno libenter assentior in eo, quod de codicum Ottoboniani et Vindobonensis dispositione conclusit, sic nullo modo eiusdem opinioni de codicibus Vaticano 1862 et Leidensi suffragari possum, cum ille sicut Scheuer hos duos libros familiae a ceteris distinctae assignet, ego autem omnes codices praeter **O W** uni atque eidem Hersfeldensis libri apographo **Y** referam. Qua in re nihil noui protulerunt Scheuer et Gudemannus, sed modo opinionem a Reifferscheidio Michaelisio ceterisque sequentibus con-

[372] Ex his lectionibus Suetonianis argumenta elicere sibi uisus est Scheuer: index (p. 98, 5) *grifo* **O W** *grapho* **G I**; c. 4 (p. 103, 25) *tam* **O W** *in tam* **N G I**; c. 18, p. 114, 14 *atque* **O W** *ad Q. atque* **N G I**. Quae ratio de *tam* et *atque* habenda sit, supra (p. 83 et p. 63) demonstraui. Corruptelarum *grifo* et *grapho* diuersos origines minime perspexit Scheuer. Nam *grapho* consultam esse interpolationem eadem forma in **N G I** c. 7 (p. 105, 12) textui inserta aperte demonstrat. *Grifo* autem est inconsultus error a librario parum diligente ob confusionem inter litteras *n* et *ri* admissus, siquidem in textu c. 7 (p. 105, 12) **O** *gnifo*, **W** *giinpho* testantur.

[373] *Wochenschr. f. Klass. Phil.* XVII (1900) p. 702.

ceptam secuti sunt. Sed, cum uiri docti opinionem Reifferscheidi Michaelisique de codicum Vaticani 1862 et Leidensis origine adhuc retineant, alteram opinionem huic coniunctissimam, quae id temporis uulgabatur, haud ita diu reicere coacti sunt. Nam Reifferscheidius nonnullas corruptelas in libris **V L** extare, quarum insignis est c. 30 (p. 127, 3) *yspeũ* ex *9spẽu* pro *conspectu*,[374] quae non nisi ob scribendi compendia male explicata exoriri potuissent, perspexit. Cum autem talia compendia saeculorum noni et decimi consuetudine omnino abhorrerent, non illud antiquissimum exemplar Hersfeldense (Fuldense vel Corbeiense ut Reifferscheidius putauit), sed modo eius apographon ab Enoch Asculano confectum Romam relatum esse iudicauit ille. Neque eadem res Rothium fefellerat, qui hanc alteram e duabus causis posuerit, cur Hersfeldensi libro maiorem quam saeculi tertii decimi aetatem tribuere nollet.[375] Viri docti igitur olim inter Rothi Reifferscheidique opiniones fluctuabant, sed nunc Decembri testimonio et codice Aesino in medium prolatis nemo est qui dubitet, quin ipse antiquissimus Hersfeldensis codex Romam reportatus sit, isque non saeculo tertio decimo sed saeculo nono uel decimo assignandus sit. Corruptelae tamen ob compendia exortae in libris **V L** adhuc manent, neque hunc nodum soluere possis, si unum modo codicem inter eos et Hersfeldensem librum interponas.

Nuperrime tamen hanc difficultatem recognouit Fridericus Carolus Wickius, qui hoc iudicio prompto,[376] *in archetypo ipso Hersfeldensi plura eademque magis uaria quam censent fuisse compendia*, omnia ad liquidum perducere sibi uisus est. Quam ad opinionem confirmandam haud pauca *Dialogi* corruptas lectiones profert, quarum aliae uelut *aut* pro *et*, *et* pro *ac*, *neque* pro *nec*, uix e compendiis extitisse potuerint; aliae, cum in omnibus libris se habeant non ad compendia in Hersfeldensi codice sed ad compendia in antiquiore quodam codice, quae Hersfeldensis librarius haud recte resoluisset, erant attribuendae; pars tamen maxima ad compendia in ipso Hersfeldensi referendae erant, si re uera archetypum codicum **V L** (familiae **X** in editionibus Taciteis) ex ipso Hersfeldensi libro transcriptum esset. Non infitior in Hersfeldensi praepositiones *per-*, *prae-*, *pro-* siglis indicari potuisse, quamquam perraro; aut litterarum nexus *-er-*, *-ur-* compendiose hic illic scriptos extare potuisse, quippe quae omnia in *Agricola* Aesino, rarissime quidem, se habeant.[377] Sed talia compendia crebra fuisse existimare, aut impeditiora compendia, qualia exempla a Wickio prolata postulent, Hersfeldensi codici contra *Agricolae* Aesini certissima testimonia uindicare non licet. Sin Wickius non unum sed duos uel plures codices inter **V L** et Hersfeldensem librum intercedere statuisset, hanc opinionem de compendiis in nostrorum codicum archetypo comminisci non coactus esset.

[374] Vide supra p. 123.
[375] Vide supra p. 69 sq.
[376] *Praefat.* p. XVI sq.
[377] Vide supra p. 62 sq.

Hoc quoque animaduerti, *Dialogi* editores iam dudum codices Vaticanum 1862 et Leidensem in peculiaribus lectionibus parui esse preti iudicant. Ego quidem uehementer suspicor hanc opinionem, quae totam familiam e solis libris **V L** constituat, quoddam esse residuum eius superstitionis quae olim primum locum Leidensi codici[378] attribuit, quaeque Franciscum Ritterum, ut omnes codices praeter Vaticanum 1862 ex ipso Leidensi profluxisse affirmaret, induxit.[379] *Dialogi* editores stirpem γ, quam nomino, uel omnino uel paene neglexerunt. Si hos libros diligentius adhibuissent, haud scio an ad alia de ceteris concludenda peruenturi fuerint. Hoc pro certo habeo, si codex Venetus (M) in *Dialogo* eiusdem sit bonitatis atque in Suetoni fragmento, editores Taciteos haud recte eum neglexisse.

De *Dialogo* tamen nimium praestare nolim, neque mihi est opus e *Dialogo* adminicula quaerere, cum codex Bodleianus nunc repertus cuiuis aperte demonstret, quod ad Suetonium attinet, non unum sed duos codices inter **V L** et Hersfeldensem librum intercedere. Sin, ut opinor, satis demonstraui codices **O W** tota indole a ceteris differre, atque ceteros omnes propter hoc ipsum, quod inter se fere consentiant ubi ab **O W** discrepent, uni atque eidem archetypo assignandos esse, tum mihi libenter concedes non duos sed tres codices inter **V L** et Hersfeldensem codicem intercedere. Nihil omnino in peculiaribus lectionibus meae stirpis β (familiae **X** in editionibus Taciteis) uideo, cur hanc potissimum stirpem alia uia ac ceteros libros praeter **O W** originem ex Hersfeldensi traxisse iudicem. Totidem fere causas inuenio cur uel stirpem a uel stirpem γ totam constituere familiam a ceteris absolutam existimem.

[378] Vide supra p. 138.

[379] *P. Cornelii Taciti Opera*, Lipsiae 1864, p. XX.

In hoc Libello conficiendo his potissimvm Operibvs consvlvi

Aistermann, Iosef: *De M. Valerio Probo Capita Quattuor. Accedit Reliquiarum Conlectio. Scripsit I. A.* Bonnae, 1910.

Aldvs: uide *Manutius, A. P.*

Annibaldi, Cesare: *L'Agricola e la Germania di Cornelio Tacito nel MS. Latino n. 8 della Biblioteca del Conte G—Balleani in Iesi.* Città di Castello, 1907.

Baehrens, Aemilivs: *Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus. Recognouit A. B.* Lipsiae, 1881.

Bavmgarten-Crvsivs, Detlev Car. Gvil.: *C. Suetonii Tranquilli Opera.* Lipsiae, 1816.

Bvrmannvs, Petrvs: *C. Suetonius Tranquillus cum notis integris . . . curante P. B.* Amstelaedami, 1736.

Casavbonvs, Isaacvs: *C. Suetonii Tranquilli de XII Caesaribus Libri VIII. Eiusdem de inlustribus Grammaticis et de claris Rhetoribus. Isaacus Casaubonus . . . recensuit. Editio altera ab Auctore emendata et Locis quam plurimis aucta.* Parisiis, 1610 (1595).

Consoli, Santi: *L'Autore del Libro "De Origine et Situ Germanorum."* Roma, 1902.

Fvnaioli, Gino: (I) *Grammaticae romanae Fragmenta collegit, recensuit Hyginus Funaioli.* I Lipsiae, 1907. (II) *Duo Codici di Svetonio 'De Grammaticis et Rhetoribus'* (1908). Studi Italiani XVII (1909) p. 265 sqq.

Graevivs, Ioannes Georgivs: *C. Suetonius Tranquillus ex Recensione I. G. G. . . Editio secunda auctior et emendatior.* Hagae Comitis et Trajecti ad Rhenum, 1691 (1672).

Gvdeman, Alfred: (I) *P. Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus, mit Prolegomena, Text und Adnotatio critica . . . zweite, völlig neugearbeitete Auflage.* Leipzig, 1914 (Boston, 1894). (II) *Two textual Problems in the Dialogus of Tacitus.* Classical Philology VII (1912) p. 412 sqq. (III) *The Dialogus of Tacitus once more.* American Journal of Philology XXXIIII (1913) p. 243–6.

Ihm, Max: *Zur Überlieferung und Textkritik von Suetons Schrift De Grammaticis et Rhetoribus.* Rheinisches Museum LXI (1906) p. 543–53.

Manvtivs, A. P.: *C. Plinii Secundi Novocomensis Epistolarum Libri decem . . . Ejusdem Panegyricus Trajano Imp. dictus . . . Ejusdem de Viris illustribus. Suetonii Tranquilli de claris Grammaticis et Rhetoribus. Julii Obsequentis Prodigiorum Liber . . . In Aedibus Aldi et A. Asculani Soceri:* Venetiis, 1508.

Michaelis, Adolfvs: *Corneli Taciti Dialogus de Oratoribus ad Codices denuo conlatos. Recognouit A. M.* Lipsiae, 1868.

Osann, Fr.: *C. Suetonii Tranquilli De Grammaticis et Rhetoribus Libelli ex eiusdem Opere De Viris Illustribus . . . recensuit et Adnotatione instruxit F. O.* Gissae, 1854.

Ovdendorpivs, Franciscvs: *Cajus Suetonius Tranquillus ex recensione F. O.* Lugduni Batauorum, 1751.

Philipp, Ed.: (I) *Zur Tacitus Handschrift cod. Vindob. II* (1887). Wiener Studien XI (1889) p. 288-90. (II) *Über die Mailänder und die Venediger Handschrift zum Dialog des Tacitus.* Wiener Studien XXVI (1904) p. 290-308.

Peterson, W.: (I) *Cornelii Taciti de Oratoribus. A revised Text with introductory Essays and critical and explanatory Notes.* Oxford, 1893. (II) *The Dialogue of Tacitus.* American Journal of Philology XXXIIII (1913) p. 1–14. (III) *More about the Dialogue of Tacitus.* American Journal of Philology XXXV (1914) p. 74–78.

Reifferscheid, Avgvst: (I) *C. Suetoni Tranquilli praeter Caesarum Libros Reliquiae . . .* Insunt eiusdem *Quaestiones Suetonianae.* Lipsiae, 1860. (II) *Index Scholarum in Vni-*

versitate Litterarum Vratislaviensi . . . Insunt Augusti Reifferscheidii Analecta critica et grammatica. Vratislauiae, 1877.

ROLFE, J. C.: *Suetonius, with an English Translation by J. C. R.* Loeb Classical Library. London, 1914.

ROSSI, VITTORIO: *L'Indole e gli Studi di Giovanni di Cosimo de' Medici.* Rendiconti della Reale Accademia dei Lincei, Classe di Scienze Morali, Storiche e Filologiche, Ser. V, Vol. II (1893) p. 128 sqq.

ROTH C. L.: *C. Suetoni Tranquilli quae supersunt omnia, recensuit C.L.R.* Lipsiae, 1858.

SABBADINI, REMIGIO: (I) *Storia e Critica di Testi Latini.* Catania, 1914. (II) *Le Scoperte dei Codici Latini e Greci ne' Secoli XIV e XV.* I Firenze, 1905; II (*Nuove Ricerche*) Firenze, 1914. (III) *Notizie storio-critiche di alcuni Codici Latini.* Studi Italiani VII (1899) p. 119–133. (IIII) *Il MS. Hersfeldese delle Opere minori di Tacito.* Rivista di Filologia XXVIIII (1901) p. 262-4. (V) *Spogli Ambrosiani Latini.* Studi Italiani XI (1903) p. 211-35.

SCHEVER, FR.: *De Tacitei de Oratoribus Dialogi Codicum Nexu et Fide.* Vratislauiae, 1891. Breslauer Philologische Abhandlungen VI (1893).

SCHOENEMANN, ARTHVRVS: *De Taciti Germaniae Codicibus Capita duo, Dissertatio inauguralis . . .* Halis Saxonum, 1910.

SCHVLZE, WILHELM: *Zur Geschichte lateinischer Eigennamen.* Berlin, 1904.

STATIVS, ACHILLES: *C. Suetonii Tranquilli XII Caesares, Theod. Pulmanni Craneburgii Opera et Studio emendati . . . Eiusdem C. Suetonii Tranquilli, de illustribus Grammaticis et claris Rhetoribus, Lib. II, cum Achillis Statii Lusitani Commentatione* (Romae, 1565) . . . Antuerpiae, 1574.

THIMM, HENR. RVDOLPHVS: *De vsu atque Elocutione C. Suetonii Tranquilli. Dissertatio inauguralis . . .* Regimonti, 1867.

TROSS, LVDOVICVS: *C. Cornelii Taciti de Origine, Situ, Moribus ac Populis Germanorum Libellus. Ad Fidem Codicis Perizoniani, numquam adhuc collati, edidit et Notas adiecit L. T. Accesserunt Dialogus de Oratoribus et Suetonii De Viris Illustribus Libellus ad eundem Codicem accurate expressi.* Hammone, 1841.

VAHLEN, IOANNES: (I) Notae autographae (ineditae) orae exemplaris Reifferscheidiani adtextae, quod anno 1913 bibliothecae Vniuersitatis Illinoiensis accessit. (II) *Index Lectionum . . . in Vniversitate litteraria Friderica Guilelma . . .* Berolini, 1877.

VOIGT, GEORG: *Die Wiederbelebung des classischen Alterthums . . . Dritte Auflage, besorgt von Max Lehnerdt.* Berlin, 1893.

WICK, FRIDERICVS CAROLVS: *Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus, recensuit, praefatus est Appendice critica et Indicibus instruxit F. C. W.* Augustae Taurinorum, 1917.

WISSOWA, GEORGIVS: *Taciti Dialogus de Oratoribus et Germania, Suetonii De Viris Illustribus Fragmentum. Codex Leidensis Perizonianus phototypice editus. Praefatus est Georgius Wissowa.* Lugduni Batauorum, 1907.

WOLF, FRID. AVG.: *C. Suetonii Tranquilli Opera . . . edidit F. A. W.* Lipsiae, 1802.

VITA AVCTORIS

Natus sum Rodney Potter Robinson idibus Martiis anno Domini nostri 1890 in urbe rei publicae Iowiensis cui est nomen Council Bluffs. Cum studiorum cursus qui in ludis publicis oppidi in eadem ciuitate siti quod uocant Harlan praescriberentur rite perfecissem, Vniuersitatem Epworthianam, quae erat in Oklahoma City, petii, ubi tres annos commoratus sum. Deinde anno 1909 ad Vniuersitatem Missouriensem me contuli, unde gradibus honoris academici qui *Artium Baccalaureus* et *Artium Magister* uocantur meritis post alterum annum egressus sum. Per annos scholasticos 1911–14 linguam Latinam in ludis publicis oppidorum Lexington rei publicae Missouriensis et Anacondae rei publicae Montanae docui. Anno 1914 socius Vniuersitatis Missouriensis adscriptus ad studia philologica iterum me contuli, quae etiam per annos 1915–17 in Vniuersitate Illinoiensi persecutus sum. Qua in uniuersitate non solum disciplina uirorum doctissimorum fructus sum sed etiam litteras Graecas et Latinas docui. Cum anno 1917 patria nostra bellum indixisset, nomen dedi et per duos fere annos in Gallia uersatus sum. Bello autem finito Parisiis uiros illustres in clara illa sede litterarum profitentes per quattuor menses audire mihi contigit. Postremo uergente anno 1919 ad Vniuersitatem Illinoiensem ad summos in philosophia honores rite capessendos reuerti. Eis omnibus qui me docuerunt aliterque laboribus meis fauti sunt, sed imprimis Guilielmo Abbott Oldfather et Arthuro Stanley Pease in Vniuersitate Illinoiensi profitentibus, nec non Euae Johnston et Gualthero Miller, quorum disciplinis Vniuersitatis Missouriensis adhuc alumnus fructus sum, gratias maximas ago.